

Friccius

Triccius

MELCHIORIS FRICCII
MEDICI ULMENSIS
Tractatus Medicus
DE
VIRTUTE VENENORUM MEDICA

In quo


Paradoxologicè & contra communem Medicorum opinionem experimentis, rationibus, & celeberrimorum in arte medicâ Virorum authoritatibus probatur, venena internè & externè uſurpata non eſſe noxia, ſed præſtantiſſima remedia, & in morbis deſperatis, ut lue venereâ, leprâ, maniâ, epilepſiâ, febribus quartanis, &c. ultimum Medicorum & ægrotorum refugium, & eorum correctiones & præparationes ut plurimum eſſe ſuperfluas & inutiles, ſimulque cujusque veneni antidotum oſtenditur.

ULMÆ

Impenſis Authoris

Anno 1701.

NON TIMIDE NEC TEMERE.



Procœmium.

QUod Johannes Barclaius in ſuo Jcon. animor. de Typographiâ & pulvere nitrato judicat, illud etiam de venenis verum eſt. Eorum inventum, inquit, Orbis Germanorum ingeniis debet, ambiguo prorſus beneficio, & quo tàm pernicies mortalium, quàm utilitas humanis rebus ſe ulterius inſinuavit. Similiter dubium eſt, an major venenorum vis in nocendo, an major utilitas in juvando ſit, prout ſcilicet ea utentem vel abutentem invenerint.

Sed de venenorum naturâ deleteriâ & nocendi modo multi Medicorum ſcripſerunt, qui verò de eorum virtute ſalutari, medicâ, juvandi modo, & quomodo ex iis egregius remediorum apparatus comparari poſſit, docuerit, nullum ſcio. Rationem credo eſſe ſiniſtram de vene-

nis opinionem. Nam omnes ferè ſtatuerunt, â veneno re noxioſiſſimâ, & quæ quaſi internocivum & irreconciliabile odium cum humanâ naturâ gerit, cujusque ſolum nomen terrorem incutit, nihil boni ad ſanitatem hominis impetrari poſſe, quæ opinio tàm alte hominum animis inſedit, ut eam vix dimiſſuros eſſe ſpes ſit. Unde ad damnandum & rejiciendum aliquod remedium, ſine ulteriore rei indagatione, uti fieri ſolet, ſi animus opinione quadam præoccupatus eſt, ſatis erat, ſi in ſuam compoſitionem aliquod venenum admitteret. D. Georg. Welſchium olim Medicum Auguſtanum hanc materiam tractare voluiſſe accepi, verùm vel difficultate rei abſterritus, vel fato præventus in hac re nihil effecit.

Quapropter ut eruditos viros materiâ quadam novâ delectarer, ſimulque utili & ad praxin medicam neceſſariâ iis prodeſſem, vel ad minimum ad rem diligentius inquirendam iis occaſionem præberem, eo avidius iterum calamum ſtrinxi, atque de venenorum virtute medicâ ſcribere conſtitui. Poſſet

Possset tamen hic meus conatus in malam partem accipi, mihiq; exprobrari, me laudando istiusmodi periculosa remedia audaculis quibusdam & temerariis occasionem miseris ægrotis nocendi præbere, & si Leonhardus Fuchsius Avicennam acriter perstringit, eumque Tyrannum & homicidam appellat, atque eos, qui doctrinam ejus sequuntur, detestatur, quod solum napellum contrà lepram commendaverit, quale judicium Medici nonnulli de mea sententia, quæ omnia venena in remediorum numerum redigere conatur, ferent? Ceu quoque magnâ infamiâ ab antiquis scriptoribus notatur Aristoteles, quem accusant, ac si Antipatrum Macedoniæ Præfectum artem venenandi, quâ Alexander Magnus periit, edocuisset. Verùm istam infamiæ notam, quâ Philosophus aspersus fuit, abstergere conatur Stephanus Forcatulus tract. de Gallor. Imperio & Philosophiâ libr. 7. & quidem recte, uti censet Henricus Salmuth in Comment. in Panciroll. Novor. Repert. Tit. ij. de Porcellan. Non enim credibi-

le esse hi viri existimant, tám nobilem Philosophum insidiarum in Regem conscium fuisse, quamvis exitialem illam aquam detexerit, sciens nihil mali genuisse naturam sine aliquo bono, nihilque tám præsentis esse veneni, quod vel per se ipsum, vel aliis salubribus admixtum, ad antidotum non spectet. Neque Avicennæ desunt Patroni, qui causam ejus dèfendere, eumque à Fuchsii & aliorum calumniis liberare, & ejus doctrinam approbare contendunt.

Idipsum etiam me potest â maledicentiâ aliorum liberare, qui jam rationibus, experientiis & celeberrimorum Virorum autoritatibus demonstrare conor, nullum esse venenum tàm vehemens, quod rectè & methodicè usurpatum non ad antidotum spectet, nullam rem tám noxiam, quæ non multa bona & salutifera in se foveat, atque ubique Numinis divini bonitatem non satis prædicari posse, si consideramus, etiam ab iis rebus, quæ unicè ad nostram perniciem á Naturâ producta esse videntur, tàm insignem ad morbos medendos fructum capi

pi

pi posse. Porrò probaturus sum venena, ut ea natura produxit, esse summa remedia, non verò sub prætextu correctionis & præparationis â Chymicis interdum miserè vexata, & viribus suis magis orbata, quám aucta. Denique venena in curatione morborum alia remedia activitate suâ superare, eaque incassum tentatis aliis auxiliis etiam in morbis desperatis esse Medicorum ultimum refugium, & ægrotorum sacram anchoram, ostensurus sum, idq; venena non occulto, uti hactenus crediderunt multi, sed manifesto modo præstare, docebo.

Si igitur alii deinde hisce remediis imprudenter & malitiosè ad hominum perniciem abutuntur, id erit præter meam intentionem, qui mihi, non quomodo venenis noceri, sed juvari possit, docere proposui, atque methodum & cautiones, quæ in usu horum remediorum observandæ sunt, apponere non neglexi.

Habebunt igitur Medici novum candoris mei monumentum, quo si iis in-

ſervire, aut eorum diligentiam ad meliorem rei hujus indagationem ſolicitare potero, erit mihi id inſumpti laboris maximum pretium, & ad alia officia præſtanda incitamentum.

Caput primum de Venenis in genere.

ANtequam de venenorum in morbis curandis egregiis qualitatibus aliquid in medium proferam, ad meliorem rei explicationem prius mihi dicendum erit, quid ſit venenum, & quæ ejus differentia.

A plerisque Medicis veteribus & recentioribus venenum definitur eſſe, quod ſingulari proprietate, occulto modo, ſpiritibus & humoribus noſtris inimicum eſt; quâ veneni definitione ſibi contradicunt, ita enim ea, quæ manifeſtâ qualitate & corrodendi virtute ſuam virulentiam exſerunt, qualia ſunt, ut ipſi affirmant, arſenicum, Mercurius ſublimatus, præcipitatus, cantharides & alia, ex venenorum cenſu excluderentur.

Mihi veneni nomine dignum eſſe videtur omne, quod in parvâ quantitate magnas obtinet nocendi vires, vel quod ſpiritus, humores & partes ſolidas corporis noſtri inſigniter, & in parvâ quantitate lædit, corrumpit, & profligat. Dico inſigniter, quo ipſo venenum ab aliis morborum cauſis diſtinguitur; nam & ex

eæ humores nostros corrumpunt, spiritus irritant, partes solidas lædunt, verùm leviore modo; deinde venena parvâ sui mole maximas læsiones corpori nostro inferunt. Est enim eorum vis concentrata, ut non ita magnâ quantitate ad virulentiam suam exercendam opus habeant, quæ nocendi qualitas in aliis rebus sanitati nostræ adversis diffusior est, & ad suam actionem præstandam majorem molem & longius tempus requirit. Ita venenum pestis, lepræ, luis venereæ, arsenici, opii, cantharidum in minimâ dosi & quantitate maximam agendi vim ostendunt, & horrenda symptomata excitant, immo ipsam mortem animali inferunt, ita minimum & vix oculis perceptibile vulnusculum â scorpione, viperâ inflictum maxima mala causatur, & ob id ab omnibus venenosum esse censetur.

Ceterùm venenorum omnium, ut pestis, dysenteriæ, lepræ, luis venereæ, opii, cicutæ, mandragoræ, cantharidum &c. agendi modum non minus manifestum esse reor, quàm aliarum causarum morbificarum.

Differentiam venenorum quod attinet, de eâ in tractatu meo de Paradox. med. egi, atque venenum distinxi in naturale. & præternaturale. In quâ veneni distinctione non ad naturam hominis & animalis respicio, ita enim omne venenum esset præternaturale, sed causam & originem cujuscunque veneni.

Nam aliud eſt venenum morboſum & ex putredine & corruptione humorum pronatum, quale eſt venenum peſtilentiale, febrium malignarum dyſenteriæ, variolarum, luis venereæ, lepræ, ſcabiei malignæ, tineæ, morſus animalis rabioſi &c. aliud quod â rebus naturalibus ſanis, incorruptis, in ſe perfectis, ſive ſint mineralia, vegetabilia, ſive ab animalibus proveniant, ut arſenicum, lithargyrium, opium, cicuta, nux vomica, hyoſciamus, napellus, cantharides, quo etiam ex naturalibus arte parata, ut Mercurius ſublimatus, præcipitatus, vitæ, buthyrum antimonii, aqua fortis, emetica antimonialia referenda ſunt.

Differunt autem hæc venena non ſolùm origine, ſed etiam agendi modo. Nam venena præternaturalia in modum fermenti humores in corpore noſtro corrumpunt, putrefaciunt, eosque in ſuam naturam convertunt, quod ſatis ſuperque ſymptomata dictorum morborum, ut inter alia corruptiones & exulcerationes partium ſolidarum, oſſium caries, capillorum defluvia, alvi fluxus fœtentiſſimi, febres probant. At venena naturalia præcipuè in partes ſolidas, & nervoſas corporis humani vim ſuam convertunt, atque eas corrodendo, irritando, ſingultus, convulſiones, vomitus, diarrhæas, tormina & dolores excitant, vel vim narcoticam iis inſinuando, ſopores & deliria progignunt. Ceterúm tantum

tum abest ut sanguinem & humores inficiant, corrumpant, quod venena præternaturalia, faciunt, ut magis si moderatè usurpata fuerint, vitia eorum corrigant, labemque eorum tollant. Nec adeo, ut communiter creditur per se spiritibus vitalibus infensa sunt, ut venena præternaturalia, quæ cum iis internecivum odium gerunt, sed tota eorum vis deleteria in eo consistit, quod inimicis suis acribus & aculeatis corpusculis, quibus instructa sunt, fribrillas nervosas in partibus sensu præditis graviter percellant, vel suis particulis fumosis, quas in stomacho, & partibus aliis corporis calore resoluta de se spargunt, nervos, & cerebrum oppleant, easque partes stupefaciant.

Falsum igitur est, quod ut plurimum à multis statuitur, venena naturalia sanguinem coagulando, resolvendo, humores serosos præcipitando vim suam exerere. Qui in hujus rei probationem argumenta & experimenta practica & anatomica desiderat, ille habere poterit ex clar. D. D. Joh. Jacob Wepffer tractatu de Cicut. aquat. ubi author operosè & multis rationibus cicutam, hyosciamum, baccas solani, napellum, nucem vomicam, cocculas, arsenicum, mercurium sublimatum, magisterium gialappæ, &c. venena intra ventriculum adhuc existentia, citra ullam massæ sanguineæ illatam labem animal occidisse probat.

Et cap. 7. loc. cit. inquit, ad explicandos venenatorum effectus, non abs re ſpicula e-" orum arripi, cum partium nervoſarum, ſeu" tactu & ſenſu præditarum læſiones ſæviſſima" conſequantur ſymptomata toto ſyſtemate a-" nimali in conſenſum rapto, (ſeu, uti Helmon-" tius loquitur,) furioſo reddito, unde humores" & ſpiritus valde turbantur, quamvis exem-" pli gratia nihil adhuc effluviorum venenato-" rum ſanguini permixtum fuerit, vel ſaltem" nondum hâc proportione, quæ hujus ſyſta-" ſin gravius perturbare & peſſundare poſſet." Sed ante Wepfferum eadem ferè ſenſit Helmontius. Nam tit. Demens Idæa text. 12. p. m. 222. de ſe teſtatur. Cum aliquando" deguſtato napello dementia mihi oborire-" tur, ſenſi, ait, cum admiratione, apertè, &" dilucidè, atque conſtanter intelligendi mu-" nus obiri in præcordiis, & expandi circa os" ſtomachi, idque adeò ſenſibiliter & clarè" ſenſi, atque attentè notavi, quod quamvis e-" tiam ſentirem ſenſum & motum ſoſpites à" capite in totum diſpenſari, tota diſcurſuum" facultas notoriè & ſenſibiliter in præcordiis" eſſet, cum excluſione capitis, quaſi tunc" mens ſua conſilia ibidem meditaretur. Tit." Duumvirat. text. 6. Opiato materialiter exi-" ſtente in ſtomacho, ſomnus excitatur, prout" invita ſæpius commonſtravit experientia."

At ſine dubio etiam hujus rei explicati-

onem

onem adjuvabit, si nervi non ut canales spirituum, sed corpora solida, â suo principio cerebro, & ejus meningibus orta, atque ab eo ad omnes corporis partes disseminata considerentur, quorum uno aliquo â veneni particulis acribus vel irritato, vel alterato, facilè tota eorum compages in motus anomalicos concitari potest, uti iterum, sufficientissimè, ut spero, in tractatu de Paradox. med. explicavi.

Hæc dum profero, nolo tamen negare venenorum & purgantiũ qualitatem ad massam sanguineam pervenire, eamque certo modo afficere, uti mihi jam fuit objectum; esse enim vias patulas, & nihil impedire, quo minus venenum & purgans ad massam sanguineam pervenire possit. Nam si hoc statuerem, mihi ipsi contradicerem, dum in toto hoc tractatu venenorum qualitatem humorum malitiam, cruditatem corrigere, eorum visciditatem & tenacitatem incidere & attenuare affirmo. Sed volo tantùm venena & purgantia suam venenandi & purgandi actionem non in massâ sanguineâ, licet ad eam perveniant, sed solidis partibus exercere. Sic si quis â sumpto arsenico, napello, cicutâ moritur, non moritur quia arsenicum, napellus, cicuta sanguinem vel coagulavit, vel resolvit, vel alio modo affecit, sed quia dicta venena ventriculum & intestina corroserunt, inflammarunt, eorumque fibrillas nervosas irritaverunt. Simili ratione

tione elleborus albus, colocynthis non ideo purgant, quia eorum virtus ad massam sanguineam transiit, sed quia eorum particulæ acutæ ventriculi & intestinorum partes glandulosas irritant, vellicant, & irritando magnam humorum serosorum copiam ab iis exprimunt. Atque ita rem se habere præter dicta probat etiam, quod venena imprimis in magnâ dosi assumpta, statim, & antequam ad massam sanguineam perveniunt, suam truculentiam de se prodant, atque tragœdiam suam in ventriculo & intestinis quasi in suo proprio theatro ludant; quod symptomata ab iis excitata, ut vomitus, singultus convulsiones, dolores, tormina, sopores, stupores &c. non massam sanguineam corruptam, sed afflictum nervosum genus indicent; quod eliminato per vomitum veneno, eoque ex ventriculo rejecto statim symptomatum sævitia mitigetur, vel planè tollatur.

Deinde contagio etiam differunt venena præternaturalia â naturalibus. Nam venena præternaturalia miasma putridum, lentum & viscidum de se emittunt, quod ob lentorem alteri corpori adhærens per corruptivam fermentationem in eo simile venenum generat, quem lentorem habent ab humido calido corpus resolvente; at venena naturalia non solùm contagiosi miasmatis sunt expertia, sed etiam multa eorum, uti deinceps dicetur, contagio potentissimè resistunt. Hi-

Hisce de venenorum naturâ & differentiis præmissis quæritur jam an venena in remediorum numerum recipi possint.

Qui negativam sententiam tuentur, dicunt venena propriè ita dicta totâ substantiâ, & proprietate quadam singulari spiritibus & humoribus inimica esse, atque ideo ad morborum medelam non adhiberi posse. Non enim simul stare posse, naturæ humanæ inimicum esse, & ad ejus sanitatem aliquid conferre, immo videtur contradictio in adjecto, uti Philosophi loquuntur, venenum & remedium. Et si res venenata naturæ nostræ inimica contra morbos assumpta fuerit, sine dubio, eos graviores reddet, incumbente tunc naturæ gravissimo onere, ut simul cum causâ morbificâ & veneno confligat, quo ipso curatio impossibilis redditur.

Sed difficultatem tollit ipsa differentia â Medicis adhibita, quâ distinguunt inter venena, quæ quantitate solùm venena sunt, quæ remedia esse posse ipsimet fatentur.

An autem dentur venena, quæ nullo modo in remediorum numerum venire possint, uti itidem affirmatur, alia est quæstio.

Ego sane nullum venenum naturale, utut noxium & vehemens est, dari credo, quod non etiam salubribus qualitatibus præditum, sit, & non aliquando loco remedii contra morbos in usum medicum trahi possit.

Nam

Nam longè alia ratio eſt venenorum præternaturalium in ipsâ humorum putredine & corruptione conceptorum & natorum. Illa ſingulari proprietate & naturâ ſuâ humores in corpore noſtro inficere, & ita contaminare poſſe, ut minima eorum portiuncula, vel ut ita loquar, unicum eorum granulum maſſæ ſanguineæ communicatum, eam totam corrumpat, atque ita quantitate & qualitate ſeu ſubſtantiâ nobis noxioſiſſima venena eſſe lubenter concedo. Verùm venena naturalia non humores primariò venenant, & putrefaciunt, ſed magis nervoſum genus adoriuntur, miasmatis contagioſi & fermentati expertia ſunt, atque irritando, vel ſtupefaciendo ſuas vires exſerunt. Unde evenit, ut licet & illa in minimâ quantitate intus ſumpta, vel extus applicata maximas vires obtineant, & ingentium malorum cauſæ ſint, ut tamen vim ſuam venenatam in corpus noſtrum exerant, certâ & determinatâ quantitate & doſi opus habent, intra quam conſtituta planè inefficacia ſunt. Ita drachma una opii, cantharidum, arſenici, ad hominem interficiendũ ſufficit, quod verò aliquot eorum grana præſtare non poſſunt, & ita vis eorum venenata non timenda ſit. Præterea, uti res reliquæ naturales, ita etiam ex iis venena ſuas habent naturales qualitates, quæ uti ſemper cauſæ morbificæ ſunt contrariæ, & ei oppoſitæ, ita ſi in morbis aſ-

ſum-

ſumantur, & applicentur, ab iis ſemper ſalutaris effectus eſt ſperandus, ceu de venenis cauſticis, purgantibus, narcoticis mox docebitur, ubi venenorum ſingulorum qualitates examinabuntur.

Nec obſtat ad eliminanda remedia ex venenorum claſſe petita dicere, ea corpori & ſpiritibus noſtris eſſe adverſa, atque ideo ea nunquàm morbis mederi poſſe.

Sunt enim infinita remedia, quorumque uſus â nemine Medicorum in dubium vocatur, & quæ in morbis propellendis præſtantiſſimorum pharmacorum officio funguntur, non obſtante quod naturæ humanæ ſint adverſa, immo, quod magis eſt, dum naturæ vim inferant, eandem â morbo liberant, quod â purgantibus, emeticis, veſicatoriis &c. præſtari videmus. Ea non ſolùm noſtro tempore Helmontius, & cum eo nonnulli recentiorum Medicorum, ſed etiam ipſe Galenus libr. 2. de vict. ration. in morb. acut. comment. 2. text. 12. naturæ noſtræ contraria, vel ut quispiam dixerit, lethalia & deleteria eſſe pronunciavit, atque cum ſucco papaveris, hyoſciami, mandragoræ comparavit, & tamen iis cum ſucceſſu ad ſuppetias ægro ferendas utimur. Sic ſi ventriculus ſaburrâ excrementitiâ bilioſâ repletus fuerit, emeticum venenum ægroto exhibitum, dum infenſâ ſuâ qualitate ventriculi fibras nervoſas irritat, vellicat,

cat, ſpasmodicè contrahit, & vomitum ciet, ſimul etiam ventriculum onere ſuo & moleſtiâ liberat, & ægrotum ſanum reddit, ſicque id, quod per ſe naturæ noſtræ eſt inimicum & venenum, per accidens ei redditur amicum, & ſummum remedium. Parem effectum ab exhibitis purgantibus, ſi materia morbifica in inteſtinis, primis viis, vel etiam remotioribus partibus hæreat, expectamus & obtinemus. Quapropter non ſequitur purgantia ſunt venenoſa, ergò in medendo nunquam iis uti poſſumus; quo argumento in antiquos Medicos invectus eſt Helmontius & ejus aſſeclæ, quibus tamen ipſa experientia contrarium teſtatur, quæ docet, etiam ipſa venena remediorum munus obire poſſe. Nam in curandis morbis præcipuè Medicus id agere debet, ut cauſam morbi per idonea remedia, vel expurgando vel corrigendo ſummoveat, quod ſæpiſſimè per purgantia & venena, quæ cauſæ morbificæ ſummè contiaria ſunt, fieri neceſſe eſt; nec in eligendis remediis Medicus nimis ſolicitè inquiret, num ea venenoſam qualitatem habeant, ſed potius, num ea qualitas venenoſa cauſæ morbificæ ſit contraria, quæ ſi eſt, non dubitabit iſtiusmodi remedium morbo opponere, noxam verò, quæ â remedio venenoſo timetur, per prudentem & methodicam remedii ex hibitionem facilè evitabit. Neque refert remedium ſalutare &

venenum

venenum ſibi invicem opponi, quia novum non eſt, ut una eademque res diverſo reſpectu ſit noxia & venenum, & remedium ſalutare; venenum, quatenus agit in corpus hominis; remedium quatenus omnibus viribus in cauſam morbi agit, eamque oppugnat.

Objici etiam poteſt, venena vitæ humanæ infenſiſſimos hoſtes eſſe, quæ ſi ſanos & robuſtos in miſerrimum ſtatum conjicere, & planè occidere valent, quantò magis ægrotos & deboles, qui viribus ad eluctandam vim â veneno intentatam ſufficientibus deſtituuntur. At reſpondetur ex modó dictis ſolùm certam & determinatam veneni doſin id præſtare poſſe, quæ, ſi intra aliquot grana reſtricta fuerit nihil nocebit. Nam quod dixerimus venena etiam minimâ quantitate maximis viribus gaudere, id non ita crudè & ſimpliciter intelligendum eſt. Poteſt enim quantitas veneni dupliciter conſiderari, vel relativè & quatenus cum aliarum noxiarum rerum quantitate comparatur, ſic etiam modica veneni quantitas, ut exempli gratia ſcrupulus unus Mercurii ſublimati in producendo morbo majores vires habebit, quàm maxima quantitas aliarum rerum noxiarum, ut exempli gratia, cucumerum, melonum, piperis, Zingiberis; vel in ſe ſpectata; ita quantitas veneni arſenicalis ad drachmam unam extenſa in ſe erit ſufficiens ad effectum venenatum producendum

cujus grana aliquot nihil nocitura sunt, & si ægrotis in conveniente mrobo dentur.

At objicient porrò hæc remedia in morbis usurpata infinitis ægrotis causam mortis extitisse, & iis interitum accelerasse, idque observationes Medicorum testari. Verùm respondetur, hunc funestum & infelicem remediorum ex venenis desumptorum effectum tunc solùm deprehendi, quando ea vel in nimiâ quantitate, vel intempestivè assumpta fuerint, quia verò nulla remedia propter ignorantiam & imperitiam eorum, qui his ad perniciem hominum abutuntur, ex medicinâ proscribenda sunt, quando per se bona, peritè atque methodicè sumpta salubria sunt, ita nec venena, & ex iis desumpta remedia propter culpam imprudentis & imperiti Medici ex remediornm numero expungi merentur. Sin verò quis remedia venenosa (liceat ita appellare) ita periculosa esse fingeret, ut nullâ arte & ratione eorum ferocia cicurari possit, illi non minùs opponimus ipsam experientiam celeberrimorum Medicorum, quâ constat istius sortis remedia in justâ dosi, decenti methodo, & convenienti subjecto data, non solùm nihil nocuisse, nullam dispositionem morbosam corporibus impressisse, sed potius salubris medicinæ officio egregiè functa fuisse, immo suâ agendi præstantiâ & celeritate aliis remediis multis parasangis antecessisse, atque

jucun-

jucundius, citius, quandoq; tutius morborum nonnullouum causas averruncasse, quàm quævis alia in morbum parata remedia: quod etiam cuilibet alii, qui nullâ opinione præoccupatus est, experiri & observare licuisset, modò voluisset. Sed ita animus hominum est comparatus, ut soleat solummodò ea animadvertere, quæ suæ præconceptæ opinioni inserviunt, reliqua verò negligere, quod verò ad veritatem indagandam maximo impedimento est. Nam si hoc abfuisset non minùs observatum fuisset remedia ex venenis tam crebrò profuisse, quàm nocuisse.

Nec desunt magni nominis Viri quorum authoritate qualitas & virtus remediorum venenosorum asseritur. Unde Dan. Sennertus libr. Practic. Medic. 6. part. 5. cap. 2. Etsi verò talia, inquit, venena sunt, ut napellus, cicuta, scorpius & similia, tamen res ipsæ, quibus insunt rerum naturalium species, sunt & â Deo creatæ, per se bonæ, & ad mundi perfectionem complendam & absolvendam pertinent, habentque ipsæ procul dubio etiam utiles nobis vires, sed quæ in hac humanæ mentis caligine nobis ignotæ sunt."

Et tamen idem Sennertus loc. cit. medicamenta per se venenata nimis incautè & temerè exhiberi docet, atque usum eorum eo ipso reprobat, cui assensum præbet D. D. Joh. Jacob Wepfer, qui tractat. de Cicut. aquat.

cap. 22. p.m. 313. talium remediorum usum non exinde probari asserit, quod quandoque innoxia fuerint, eo, quo exhibita fuerunt, die, vel sequentibus diebus aliquot non nocuerunt, quia ab iis vitiosa corporis constitutio imprimi possit, quæ longo tempore postea se exserat; quæ verò ratio non est tanti, ut nos â semel conceptâ nostrâ opinione dimoveat, quia ea vitiosa dispositio corpori tantùm â medicamento præposterè dato imprimitur, sin verò remedium venenosum ritè & methodicè fuerit exhibitum, capax erit morbosam dispositionem non corpori imprimere, sed ei impressam eluere. Joh. Renodæus libr. 1. Instit. pharmac. cap. 13. Desumuntur omnia venena vel â plantis, mineralibus, vel animalibus. A plantis, ut â papaverum genere, ab hyosciamo & mandragorâ, quorum licet qualitas perhibeatur venenata, usus tamen quotidie feliciter ad morborum curationem celebratur. Aconitum pharmacum toxicum est, oculorum tamen medicamentis levandi doloris causâ adjicitur. Et cicuta sacros ignes & ulcera serpentia illitu restinguit. Nerium contra Serpentum morsus præsidium est in vino potum. Sedum majus erysipelata & herpetes extinguit. Solanum omne adhibitum dolores quosvis mitigat. Et hæc omnia Dioscoridi venena sunt, ut etiam ranunculus, esula, hermo-

hermodactylus, quorum ut quotidianus, ita" saluberrimus est usus. Præterea & Napellus," herba Parios, taxus, stibium, & alia pleraque" sunt, & medicamenta & venena, interfici-" unt namque, & medentur.

Superest igitur ut rationem & modum, quo venena hunc vel illum morbum tollere valent, quasi digito demonstrem, quo ipso omnem suspicionem â me amoliri tentabo, ac si Empiricorum more procedere velim, sed verè Dogmaticorum Medicorum more ostensâ morbi causâ curationes morborum auspicaturus sum, ita tamen, ut rationem semper submittam experientiæ, & nil quicquam contra eam *proferam*. Neque enim sum in eâ opinione, ut remedia venenosa occulto modo & cujus ratio non sciri possit, causam morbificam expugnare putem. Ex quibus omnibus elucescet, Medicorum eos, qui venenis remediorum loco utuntur, eaque ad usum medicum adaptant, præter suum meritum inscitiæ & temeritatis argui, sed multo magis timiditatis eos accusandos, qui talia remedia aversantur, & exhorrescunt.

Interim non negamus talia remedia uti insignem utilitatem contra morbos præstant. ita nisi circumspectè usurpentur, insignem noxam ægrotis inferre posse, quod ea cum generosis remediis commune habent, quæ prudenter adhibita maxime prosunt, imprudenter

 verò

verò maximè nocent, & hoc est quod Galenus libr. 2. method. medend. cap. 11. asserit, difficile esse, ejusmodi aliquod auxilium invenire, quod citra noxam insigniter prosit; uti Celsus de venæsectione judicat, eam aut occidere, aut juvare ægrotum. Verùm pericula quæ ab eorum usu proveniunt, Medicus, qui morborum causas agnoscit, & remediorum operationem & agendi modum perspectum habet, nec non verâ medendi methodo instructus est, facile declinabit, quorum usum eo minùs negligerè potest, quo magis morborum magnitudo, ferocia & pertinacia mediocrium remediorum usum contemnens sæpius eum ad generosiora auxilia confugere, atque interdum duro nodo durum cuneum quærere cogit; è contrario â magnis morbis decumbentes ægri multo plures pereunt ob nimiam timiditatem Medicorum, qui generosorum remediorum usum aspernantur, quàm temeritatem eorum, qui iis utuntur, quod ipsum Opii, & ex eo paratorum remediorum exemplo clarè demonstrari potest. Hæc licet venenosa sint, tamen antiquissimis temporibus in tanto honore fuerunt habita, ut vix sit antidotus, quæ non in se receperit opium, uti ex Galeni scriptis patet; hæc tamen subsequentibus temporibus ob nimiam Medicorum quorundam scrupulositatem, qui in eorum usu, nescio quid periculi sibi

bi fingebant, planè neglecta, sed nostris temporibus propter eximia eorum merita amplo honore in remediorum regnum reducta fuerunt. Unde Dan. Ludovici Dissert. 1. Pharmac. Modern. de Hypnot. p. m. 665. æquè multos ob meticulosam opiatorum & emeticorum intermissionem, quàm per empiricorum manus occubuisse refert, quod etiam de aliorum remediorum neglecto usu verum esse, deinceps patebit.

Hæc autem scrupulositas circa venenatorum in medicinâ usum nullam aliam rationem habet, quàm quod venena ita noxia esse censeantur, ut etiam ipsâ substantiâ sint deleteria, humorum & spirituum corruptiva, & vel minimâ quantitate venena. Inter ea venena â Galeno libr. 15. cap. 9. de simplic. medic. facultat. referuntur dryopteris, pythiocampe, & thapsia, & solanum maniacum, & hydragyrum, fungi nonnulli, præterea saliva & fel venenatorum animalium: cujus verò authoritati in hoc parùm tribuendum est. Nam hydrargyrum immeritò tale venenum censeri, cum etiam ad uncias innoxiè sumatur, quilibet novit; de solano maniaco deinceps dicetur; de dryoptere, pythiocampe & thapsiâ, nihil mihi constat, & in nostris regionibus incognita sunt; fel & salivam venenatorum animalium, ut viperarum &c. innoxie sumi itidem recentiorum experimenta circa vi-

perarum naturam instituta testantur; atque hoc solummodo de salivâ animalium rabiosorum & morbosorum, non verò sanorum, verum est, quorum venenum miasmate putredinali, contagioso inquinatum est. Arsenicum, Mercurium sublimatum, præcipitatum, cantharides, opium, hyosciamum, mandragoram, cynoglossam, euphorbium, nucem vomicam, esulam, in parvâ dosi medicamentosa non venenosa esse, nec totâ substantia sed manifesta qualitate lædere, neque sanguinem & humores inquinare, sed partes nervosas & solidas corrumpere, suo loco ostendetur, atque docebitur eam ipsam horum qualitatem salubrem & medicamentosam in majori dosi triplicatam vel quadruplicatam degenerare in venenosam.

Credo etiam multos Medicos ab usu remediorum venenosorum absterritos fuisse exemplo eorum, qui talibus infeliciter usi fuerunt, quod verò malum magis abusui remediorũ, quàm ipsis remediis imputandum erat.

Hic verò abusus duobus potissimum modis præcavetur. Primò ut remedia venenosa rectâ medendi methodo, id est, convenienti subjecto, morbo & tempore exhibeantur, hoc nisi observetur, omnia remedia, & imprimis fortia & generosa erunt periculosa; secùndò ut in parvâ & restrictâ dosi sumantur. Nam hæc est omnium venenorum natura, ut in

magnâ

magnâ dosi sumpta sint periculosa & exitiosa. Ita remedia caustica in magnâ dosi ventriculum & intestina inflammant, corrodunt, vomitus, atrocissimos dolores, singultus excitant; purgantia hypercatharses causantur; opiata somnos profundissimos & ipsam mortem, quæ verò in parvâ quantitate in solam causam morbificam, intactis corporis partib', agent, vel si vis iis â medicamento infertur, eâ non erit tanta, ut inde periculum timeri possit. Hoc videmus etiam fieri in rebus nobis usualibus, croco, vino, spiritu vini, quæ immodicè ingesta si maxima damna ciere poterunt, quantò magis venena? Unde Galenus libr. 2. de vict. rat. in morb. acut. comment. 2. text, " 12. docet, succi papaveris, mandragoræ, hy-" osciami, & aliorum istiusmodi multorum, " quæ nobis & substantiâ & viribus adversa " corpus perimere nata sunt, portionem exi-" guam sumentes magnam percipiunt quali-" tatem; sic & purgantium medicamentorum," quorum natura corporibus nostris adversa " est, exiguam aliquam præcidentes particu-" lam ad suppetias ferendas utimur.

Hisce præcautionibus addunt recentiores Medici & Chymici aliam, & tertiam, quando per præparationes & spargyricas venenorum resolutiones omnem eorum noxiam qualitatem, salvâ utili & innoxiâ, se dempturos promittunt. Nam dicunt venenis crudis nos

nunquàm tutò uti posse, atque in iis duplicem qualitatem statuunt, unam utilem & salutarem, alteram noxiam & venenatam, quæ verò uti falsa sunt, ita etiam labor ille circa præparanda venena fere omnis inanis & frustraneus est. Est enim in omni veneno non duplex sed unica qualitas, atque ea ipsa qualitas quæ per prudentem remedii venenosi exhibitionem est medica & salutaris, ea ipsa per imprudentem usum redditur venenosa & noxia. Si igitur salutaris & utilis est, ea per præparationem non est aufferenda, sed omni modo conservanda, quia sublatâ eâ remedium ad curandos morbos inefficax redditur. Sic arsenico, cantharidibus, Mercurio sublimato, præcipitato, inest vis caustica, quæ ad oppugnandam causam morbificam expetitur. Sic euphorbio, esulæ, helleboro albo & nigro, valida inest virtus drastica, quæ ad educendos humores crassos, tenaces desideratur; sic opio inest vis narcotica, cujus virtute spiritus efferati & immodicè commoti compescendi sunt, atque eandem harum rerum qualitatem in immoderato earum usu etiam venenatam esse, & hominem occidere in aprico est; si igitur arsenico, Mercurio sublimato, præcipitato suam virtutem causticam, si cantharidibus, vesicatoriam, si euphorbio, esulæ, helleboro albo, nigro suam virtutem purgantem, opio, hyosciamo, narcoticam demimus, quid illis

illis amplius relinquitur? An non ſunt mera remediorum cadavera, uti accuratius ſingulorum venenorum præparationes intuens facile perſpiciet? Ut jam non dicam, per præparationem, utut accuratè inſtitueretur, vix fieri poſſe, ut non unâ cum inutili etiam ſalutaris rei præparandæ qualitas ſimul aufferretur?

Alii dicunt per præparationem tantùm effrænem venenorum vim corrigi & coerceri, quod quidem non ſemper rejiciendum eſt, quandoque inutile. Nam ob id ipſum venena ad morborum curationem expetuntur, quia valida ſunt, atque in eorum minimâ mole ſumma activitas, & quia in morbis pertinacibus debilioribus remediis nihil effici poteſt. Cur igitur per præparationem remediorum vires debilitamus, eaque ad oppugnandos morbos minus efficacia reddimus nosque ipſimet noſtro beneficio privamus? Sin verò ab effræni venenorum agendi modo periculum timetur, illud magis accidendo eorum doſin præcaveri poteſt. Unde ſæpius accidit, ut â laudano opiato id non potuerit impetrari, quod â crudo opio, vel remedio opium crudum in ſuâ compoſitione retinente.

Quare nullum eſt dubium antiquos Medicos, qui venenis crudis uſi fuerunt, majore fructu ex eorum uſu gaviſos fuiſſe, quàm recentiores Medicos, qui quandoque corrigendo & præparando faciunt, ut nihil corrigant, & præparent.

Ceterùm

Ceterùm venena naturalia (nam præternaturalia, morbosa, & ex putredine & corruptione humorum pronata, hîc nullam considerationem merentur) potissimum triplici modo & prosunt ut remedia, & obsunt, ut venena.

Vel enim virtute suâ causticâ, corrosivâ in moderatâ quantitate sumpta humorum cruditatem absumunt, eorum crassitiem, & tenacitatem attenuant, incidunt, eorum putredinem & corruptionem tollunt, sin vero immoderatè exhibeantur, particulis suis acribus stomachum & intestina corrodunt, inflammant, tormina, intensissimos dolores, singultus, vomitus, æstus, anxietates cordis, convulsiones, stranguriias, excitant, ex quibus tandem mors; quales sunt arsenicum, auripigmentum, Mercurius sublimatus, præcipitatus, spiritus & oleum vitrioli, salis, nitri & omnia acida fortia, cantharides; alia calore ventriculi & partium resoluta ἀποῤῥοὴν seu effluvia narcotica de se spargunt, quæ vel ad cerebrum effumantia, vel nervis insinuata eos stupefaciunt, spiritus efferatos compescunt, dolores mitigant, somnum inducunt, humorum & sanguinis effluvia & orgasmum sistunt; vel in nimiâ dosi & quantitate sumpta spiritus vitales seu calorem nativum planè suffocant, & ita hominem interimunt, qualia sunt opium, hyosciamus, mandragora, solanum, cynoglossa, â quibus

bus nec crocus excludendus, ad ea â nonnullis etiam referuntur nux vomica, cocculæ, quæ verò magis inter nervosi generis irritativa, si vis eorum venenata spectetur, referenda sunt; quædam fibrillas nervosas intestinorum & stomachi particulis suis acribus irritant, vellicant, atque ex glandulis harum partium magnam vim humorum serosorum & pituitosorum exprimunt, atque ita vomitus & diarrhæas concitant, qualia sunt omnia emetica & purgantia, & imprimis fortia, ut Mercurius vitæ, euphorbium, elaterium, esula, colycinthis, helleborus albus, niger. Unde triplex remediorum venenosorum genus exsurgit, quorum prima sunt caustica & corrosiva, secunda, emetica & purgantia; tertia, naroctica, quæ etiam inebriativa appellari possunt, quia non secus ac vinum, spiritus vini, nicotiana inebriant, somnum, deliria, vertigines, causantur, quæ verò solum regnum vegetabile suppedit, hæc enim omnia sulphure quodam volatili narcotico prædita sunt, quod gravis eorum odor, satis indicat, quo verò ea, quæ fixioris sunt naturæ, ut mineralia, metallica, destituuntur.

Caput

Caput II. de Arsenico.

INter venena caustica & corrosiva agmen ducit, & primò examini subjiciendum venit arsenicum album & citrinum, seu auripigmentum, Græcorum Sandaracha, nullo contradicente ambo ferocissima venena, quippe quæ vel studio vel fortè oblata etiam in paulo largiore quantitate intra breve temporis spacium, quandoque intra paucas horas horrēda symptomata, ut dolores atrocissimos, æstus internos, singultum, sitem incompescibilem & alia gravissima inducunt, & ita hominem vitâ privant. Hæc autem arsenicum præstat non occulto modo & ratione, quod tamen ad veneni actiones requiri putant plerique Medici, qui illud definiunt per rem noxiam, quæ occulto modo corpus nostrum lædit; ita enim vel arsenicum non esset venenum, quia manifestâ ratione lædit, vel non omne venenum occulto modo læderet, quorum utrumque esset contra Medicorum assertum. Nam arsenicum & auripigmentum particulis acutissimis & pungentissimis præditum est, quibus assumptum ventriculi, & intestinorum membranas corrodit, lancinat & perforat, quibus â veneno ita afflictis etiam totum nervosum genus in consensum rapitur, unde convulsiones & inevitabilem mortem consequi necesse est. Illud magis est contro-

controversum, num tàm abominabile venenum, & quasi juratus vitæ humanæ hostis etiam in remediorum numero haberi, & morbis opponi possit, quanquàm si sola authoritas omnium Medicorum hâc in re consulatur, res jam decisa esse videatur. Ii enim ferè omnes usum arsenici, præprimis internum aversantur & detestantur.

Inter eos Frider. Hoffmann. Pharmac. Schrœder. libr. 3. cap. 27. istiusmodi deleterium & venenatum medicamentum internè adhibere cuivis Medico Christiano religionem esse debere asserit. Cui assentit Joh. Jacob Wepffer libr. de Cicut. aquat. cap. 21. histor. 13. in schol. 3. ubi fatetur, se ab usu arsenici externo (quanto magis interno) quantumcunque etiam fixatum esse deprædicetur, abhorrere.

Mediâ incedit viâ Joh. Baptista Helmontius pharmac. & Dispensat. modern. text. 52. p. m. 575. 1. internum arsenici usum reprobans, externum admittens, his verbis: Arsenicum, auripigmentum &c. quantumvis fixentur & edulcorentur, nunquam tamen sunt intrò sumenda, utut alii secus persuaserint. Foris tantùm valent, aliaque ulcerum venena necant, domantque, si prius ipsamet subacta fuerint.

Zacut. Lusitan. Prax. histor. libr. 2. cap. 7. p. m. 352. 353. internum usum arsenici propter

pter vim suam] causticam planè proscribit. dum ibi Avicennam & Arabes à calumniis eorum liberare nititur, qui eos arsenicum asthmaticis in potu obtulisse affirmarunt, atque pro defensione Avicennæ affert, eum per nomen Arsenici nihil aliud quàm tragacantham Græcorum intellexisse.

Huic sententiæ celeberrimorum in arte medicâ Virorum etiam ipsa ratio suffragari videtur. Nam ab eâ re, quæ tanto furore in corporis nostri viscera debacchatur, ea perforat, exedit, inflammat, quæque inter venena principem locum tenet, vix aliquid auxilii contra morbos impetrari posse, valde verisimile est.

Verùm hisce authoritatibus alias virorum non inferiorum opponere possum, qui arsenicum internè & externè ad morbos depellendos usurpari posse contendunt, eoque cum successu usi sunt, ut Musæ Apollonii, Avicennæ, Galeni, Kenelm | Digby, Thomæ Willisii, Schrœderi, immo ipsius Zacuti Lusitani in hoc parùm sibi constantis, dum superiore loco arsenici usum rejicit, in alio verò, ut Prax. admirab. lib. 2. observ. 20. in dysenteriâ id tantopere laudat, immò ipsius Avicennæ authoritatem citat, atque eum Arsenico in phthisi, asthmate, casu, offensione, in paucâ quantitate, cum ejus malitiam retundentibus aliis remediis usum fuisse asserit. Si igitur Avicen-

Avicennas, & cum eo Zacutus Lusitanus vero, & nostro arsenico in nonnullis morbis usi fuerunt, quî fit, ut idem Zacutus hoc remedium ut periculosum traducat, & suspectum reddat, atque Avicennam defendere conetur, ac si is per Arsenicum Græcorum tragacantham intellexisset, cum tamen Aviceñas de Arsenico ut remedio forti, in modicâ quantitate, cum ejus malitiam retundentibus remediis sumendo loquatur, quod de tragacantâ remedio admodum miti, non intelligi potest.

Rationem igitur allatam quod concernit, ea tantùm vera est, si loquitur de Arsenico in magnâ quantitate sumpto, non verò de eo debito tempore, modo, & dosi exhibito: ita enim arsenicum, uti alia remedia venenosa præstantissimum & tutissimum est remedium.

Unde â multis hodie arsenicum in febribus intermittentibus non sine felicissimo effectu (quod ipse sæpius expertus sum) usurpari cœptum, & meminit clarissimus D.D. Joh. Jacob Wepffer in suo tractat. d. Cicut. aquat. cap. 21. histor. 13. schol. 3. jam ante viginti annos cujusdam decocti arsenicalis, tanquàm præsentissimi febrifugi, cujus descriptio ei ab excellentissimo Domino Johann. Rudulpho Burckhardo Professore & Medico Basiliensi celeberrimo fuit communicata, & de quo etiam multa ab Excellentissimo Domino Doctore Francisco Reinardo Physico,

& Senatore Solodurienſi ſe accepiſſe meminit, licet decocti hujus præparationem publici juris fieri vetet, timens imperitis & temerariis ita anſam & occaſionem nocendi dari. Verùm, uti dixi, propter temeritatem & imperitiam Empiricorum remediis abutentium non ſunt ſtatim negligenda remedia ea, quæ ritè & rectè adminiſtrata Medico verè docto exquiſitiſſimam medicinam ſuggerere, & in morbis curandis ſtrenuam operam navare poſſunt.

Arſenici virtutis antifebrilis etiam mentionem facit D. D. Roſinus Lentilius Ephimer. Nat. Curioſ. Decur. 2. Anni 3. quam curationem paradoxam nominat, atque etiam Excell. D. Doct. Lucas Schrœckius in ſcholio ad eandem obſervationem eam inuſitatam, & cujus præter Paracelſum, qui ſpiritu arſenici quartanam curavit libr. 2. de morb. metall. cap. 5. appellat, quod non negari poteſt. Hoc tamen non obſtante non ſemel in febribus intermittentibus remedii hujus periculum me feciſſe, ægrotis intra corpus ſumendum obtuliſſe, atque ejus drachmas aliquot inſumſiſſe non diffiteor, verùm ſemper cum eo ſucceſſu, ut me deinde meæ audaciæ nunquam pœnituerit. Non ſolùm enim ab ejus intra corpus ſumptione nullum terribile ſymptoma fuit exortum, nulla diſpoſitio periculoſa corpori conciliata, ſed potius omnia expectata

pectata & exoptata evenerunt, nempe paroxismi ab ejus usu tàm certò profligati, quàm certò decantatissimum corticem Chin-de Chinâ, aliâs Peruvianum appellatum, eos profligare quotidiè experimur.

Non verò derogabit quicquam vel fidei, vel dignitati præstantissimi remedii, quod illud hactenus solùm intra ignobilium Empiricorum manus & nomina latuerit, nec, quod ego sciam, â quoquam dogmaticorum Medicorum in lucem protractum fuerit. Nam nec Galenum ab Æschrione Empirico, quomodo morsus canis rabidi curandus sit, didicisse, illudque remedium in libris suis annotasse, puduit.

Et ubi sunt illa remedia, quæ saluberrima & tuta esse primùm experientia, deinde ratio ostendit, atque ob id catalogo remediorum verè dogmaticorum insèrta, & quasi civitate donata fuerunt, quæ, inquam, ab initio non casu & fortunâ, atque sæpissime â rei imperitis inventa fuerunt? Quapropter Medicorum officium est inquirère, non â quo hoc vel illud remedium fuerit inventum, sed quo successu fuerit usurpatum, deinde effectus & operationis causa in remediis indaganda, denique quâ methodo illud in usum trahi possit & debeat, ostendendum, quia nullum remedium tàm nobile, tàm insons est, quod ubique, & omnibus naturis conveniat, ita ca-

 vebitur,

vebitur, ne si inconvenienter & intempestivè illud datum fuerit, innoxio remedio culpa mali, quæ potius imprudentiæ Medici imputanda est, adscribatur.

Sufficit igitur ad Arsenicum in rem seu materiam medicam adoptandam, quod in morbis cum optato successu fuerit datum, quod si â præjudicio excœcatis negabitur, provocare licet ad ipsam experientiam in arte medicâ summum Judicem, quique etiam celeberrimis in arte nostrâ Viris silentium imponere & debet, & potest. Illa nos docebit Arsenicum in febribus intermittentibus exhibitum omnes eas dotes possidere, quibus optima remedia prædita esse debent. Non enim solùm citò effectum suum in morbum exserit, unâ vel alterâ exhibitione statim paroxismum febrilem protelando, non solùm tutò operatur, nullum periculosum symptoma excitando, vel morbosam corpori indispositionem relinquendo; neque solùm jucundè curat, quia in restrictissimà dosi sumitur, omnis odoris & saporis molesti expers est, atque ideo citra nauseam ingeritur. sed etiam, & quod maximum, remedium est certum, & quod desiderium ægrotantis, votumque Medici nunquam fallit, quibus omnibus qualitatibus Arsenicum & Auripigmentum corticis Chin de Chinâ vires æquat, in eo verò superat, quod arsenici dosis tantùm ad aliquot grana extendatur,

datur, atque ab ægrotis sine molestiâ sumatur, cum cortex Chin de Chinâ propter suam largiorem, & ad drachmam unam & duas usque extensam dosin, atque ingratum saporem sumentibus admodum nauseam creet, cuique in ægrotis ad sumendam medicinam refractariis jure arsenicum substitui potest. Observavimus etiam in nostris regionibus & corporibus multo phlegmate abundantibus corticem Chin de Chinâ quidem paroxismos febriles protelare, verùm loco eorum sæpius alios affectus excitare, atque curationem per hunc corticem violenti quid in se habere, quod de arsenico, præcipuo phlegmatis viscosi incisivo, & attenuativo, non dici potest.

Ceterùm operatio Arsenici corticis Chin de Chinâ ferè similis est, atque suum opus perficit in sensibili modo, neque ullam manifestam evacuationem, nisi in quibusdam levem vomitum ciet, & ita quasi sine negotio paroxismos non solùm febrium tertianarum protelat, sed etiam non minùs potens & bellicosum est in quotidianis & quartanis expugnandis, eo ipse vindicans Medicos unâ cum cortice Chin de Chinâ, febrifugo Lazari Riverii ab opprobrio, quo vulgò febres quartanæ pro incurabilibus morbis habentur.

Licet autem Arsenicum in curandis febribus intermittentibus certum promittat auxilium, sæpius tamen fit, ut pax per remedium

â morbo impetrata(quod etiam in exhibitione corticis Chin de Chinâ notari debet) non sit fida & constans. Nam paroxismi â medicinâ ad tempus suppressi sæpius vires resumunt, recurrere solent, morbusque quasi mortuus reviviscere: quapropter sublato quamvis morbo, cura medendi non tamen ideò planè abjicienda est, sed per adhuc semel aut bis repetitam medicamenti exhibitionem studendum est, ut omne id, quod ex causâ morbificâ adhuc superest, & novos paroxismos febriles cudere potest, consumatur, & tollatur.

Inquirendum jam est, quâ ratione & virtute arsenicum in prædictos morbos agat, eosque tollat, id enim potissimum est, quod Medicũ ab Empirico distinguit, cum hic quidem effectum remediorum sciat, rationem verò hujus effectus nesciat, atque ideò remedium in ejus manu positum sit instar gladii in manu furiosi.

Hunc effectum si scire avemus, ante omnia nobis indagandum est, quænam sit causa febrium intermittentium. Hanc autem in morbis tria potissimum indicare solent, nempe causæ morbi procatarcticæ, deinde symptomata & signa morbum indicantia, denique remedia contra morbum usurpari solita; quæ omnia si diligenter attendantur, clarum evadet, omnium febrium intermittentium fermentum propullulare ex quadam humorum crudi-

cruditate, quæ cruditas primus gradus ad putredinem est; cui sententiæ etiam ferè tota antiquitas addicta fuit.

Huic cruditati vel ventriculi inbecillitas, vel aeris intemperies humida & calida, qualis potissimum est verno tempore, vel in victu commissi errores, ut potus & usus aquæ imprimis stangnantis, lac & inde parata, pisces, fructus horarii, interque eos præcipuè cucumeres, melones, cerasa dulcia, pruna ortum dederunt, hæc enim omnia in ventriculum debilem ingesta facilè in eo vel non benè concoquuntur, vel planè corrumpuntur, putrescunt, atque fermento febrili in nutrimentum cedunt, unde etiam talia omnium Medicorum unanimi consensu febricitantibus noxia sunt, â quorum usu homines in febres incidere, vel jam ab iis liberati multoties recidivam morbi sibi accersere solent. Similiter multis noxæ fuit subire loca frigida & humida, ut cellas & loca subterranea, aliis intrare ædes sacras, & fornicatas. Multi vel in flumine natantes, navigantes vel pontem fluminis transeuntes, febrem sibi exsuscitarunt. Alii aquâ simplici, quâ in febribus nihil venenosius, se lavantes novum febris insultum passi sunt. Scio virum febre tertianâ diu detentum, sed tandem ab eâ liberatum, atque deinde colicis doloribus infestatum, cum iis balneo aquæ dulcis mederi vellet, vix membra in la-

brum demisisse, cum subitò & de novo febris eum invaderet, atque omnia membra horror quateret. Lactis & piscium esum infinitos febricitantes suo maximo detrimento, & sanitatis dispendio luisse, plurima exempla probant.

Non minùs febrium intermittentium symptomata eorũ causam ex cruditate & fermento putredinali, quam Galenus σηπεδονώδεσ vocat, oriri ostendunt. Cibus enim in ventriculo non sufficienter coctus, nec ritè fermentatus, bile excrementitiâ cavitatem ejus infarcit, unde inappetentia, nausea, propensio ad vomitum, in pectore gravitatis, & quasi ponderis in eo incumbentis sensus, & rigor exsurgunt, postquam verò chylus crudus, crassus, & semiputridus ad massam sanguineam pervenit, is ab initio suffocatis ab eo spiritibus vitalibus, caloris nativi authoribus, horrorem inducit, quem deinde æstus & calor præternaturalis, irritatis quasi spiritibus ab inimicâ materiâ, & ad luctam cum eâ se accingentibus, subsequitur, qui dum omni conatu sese ab hoste suo expedire, eumque ex corpore expellere student, febrem excitant, quo ex massâ sanguineâ profligato, sudor æstum excipit, quo profluente paroxismus desinit. Hoc tamen hîc est notandum illud febrium intermittentium fermentum putredinale esse leve, & in primo putredinis gradu, nempe cruditate subsistens, atque ideò & naturæ, & remediis morbo

morbo oppositis facili negotio cedens, vel ad minimum nullum periculum ægro creans, etiamsi diutius persisteret. Nam si fortius esset, & ad venenositatis gradum ascenderet, tunc non intermittens febris oboriretur, sed acuta, maligna, immo ipsa pestis, in quâ non solùm viscera interna inflammari, sed etiam partes externas sphacelatas & gangrænosas fieri cernimus.

Nec aliud in febribus intermittentibus quàm miasma putredinale crudum peccare, probat ipsa curatio harum febrium, & remedia iis opponi solita, qualia sunt theriaca, quæ constat ex quam plurimis virtute aromaticâ præditis; sunt deinde salia absinthii, cardui-benedicti, centaurii minoris, flores salis armoniaci, absinthium & vinum absinthites, potens cruditatis corrigens, quodque sæpius febres profligasse fuit observatum. Nonnulli piper in spiritu vini sumunt, & ita incommodum hospitem eliminant, quæ etiam validè in fermentum putredinale pugnant. Ipse còrtex Peruvianus unicus ferè chimeræ febrilis Hercules nullâ aliâ virtute, quàm qua amaritie suâ mumiali inquinamentum putredinale sub se domat, agit. Unde Clariss. Joh. Dolæus cap. 7. libr. 4. de febrib. inquit: Omnia " amara hîc conducunt, quia ventriculum ro-" borant, & omnem hostem arcent, & solâ es-" sentiâ absinthii compositâ hanc febrem vidi

 subla-

sublatam, sive dentur in formâ decocti, vel"
vini medicati, vel tincturæ, vel elixiris, ut"
centaurium minus, absinthium, abrotanum,"
carduus benedictus, radix gentianæ, enulæ,"
& imprimis cortex Chin-de Chinâ, quæ etiam inter amara referri potest, & inde eum stomachicum, esse nullus dubito. De nuce vomicâ amaricantissimâ in febribus intermittentibus multi sibi multa, nec præter rationem & successum promittùnt. Sunt alii, qui oleis destillatis piperis, garyophyllorum aromatic. camphoræ, spinam febrium Helmontianam (nobis nihil aliud quàm miasma putredinale) non inepte eradicare tentant, cum & illa virtute suâ aromaticâ putredini & cruditati resistant. In quem finem â nonnullis, & Jos. Quercetano Pharmac. libr. 1. cap. 14. p. 121. Sagapenum, Euphorbium, pilulæque ex iis constantes, ad propulsandam quartanam commendantur, cum tamen sint inflammantis naturæ. Ipse Galenus 1. ad Glauconem cap. 2. omnem quartanam calidissimis antidotis curandam esse censet, quo ipso non minus arsenici, sed etiam Mercurii sublimati, præcipitati, & aliorum remediorum causticorum, quorum deinceps mentio fiet, usus stabilitur.

Unde non mirum est, etiam arsenicum in extirpandâ febrium intermittentium causâ tàm potenter se gerere. Nam cum cruditas præcipua sit corruptionis & putredinis causa, â quâ

à quâ febres intermittentes unicè proveniunt, tunc nihil mediocre nobis de remedio caustico, vim atque virtutem ignis æmulante, quale est arsenicum, polliceri debemus.

Quare non immeritò arsenicum triarium militem, & verum Theseum Cerbero infernali febrium oppositum, appellaveris, & quod cum cortice Peruvianâ seriò opus suum peragit, cum alia remedia saltem ludere, vel velitari videantur.

Arsenicum putredini resistere eo minùs nos dubitare sinit ejus insignis virtus, quâ omnia ulcera maligna, putrida, cancrosa, venenosa, curat, immo quâ ipsius pestis, ut deinde dicetur, progressus sistit, atque omnibus viribus ejus sævitiæ sese opponit.

At inquiet quis, obstat nomen veneni & remedii caustici, quo minùs in febribus intermittentibus in usum vocari possit, verendum esse, ne illud interna viscera inflammet, corrodat, atque dira symptomata excitet. Medicum debere esse circumspectum, prudentem, non temerarium, audacem. Sed hic metus de nihilo est. Nam caustica remedia, quale est arsenicum, tunc sunt venenosa & periculosa, quando in largiore, quàm par est, dosi & quantitate sumuntur, in restrictâ verò nihil aliud agunt, quâm ut cruditatem humorum corrigant, miasma putredinale ignis instar consumant, & destruant, intactis interim & illlæsis

illæsis visceribus corporis nostri, & ita ex veneno terribili & sævo tutissimum & præstantissium fiunt remedium, tuncque tantùm abest, ut nomen caustici nos ab ejus usu absterreat, ut potius illa qualitas ejus usum nobis commendet. Ceterùm concedo Medicum non temerè agere debere, sed etiam nec timidè, cum hoc tantum ægroto obesse possit, quantum illud, atque Medico non minus dedecus sit, intempestivâ timiditate ægrotum negligere, quàm præcipitante audaciâ eum in deteriorem statum conjicere. Quoties Medico nimis circumspecto, atque ob id occasionem rei bene gerendæ negligenti ruborem excussit cordatior Empiricus, qui validioribus remediis morbum statim aggressus, eum etiam non sine alterius opprobrio feliciter sustulit. Ubi Poetæ illius locum habet:

Crede mihi vanos res habet ista metus,
Terror in his ipso major solet esse periclo
Quæ timuisse lubet, me temuisse pudet.

Potest porrò dici, opium non minus formidabile venenum esse, quàm arsenicum, cum & illud in paulò majore dosi & intempestivè datum formidabilia symptomata, & sæpissimè ipsam mortem intulerit, hoc tamen nos hactenus ab ejus usu non absterrere potuit, cum quam plurimi Medici sint, qui illud tanquàm summum remedium suspiciant; cur verò soli opio non minùs quàm alii inter venena refe-

rendo

rendo hoc quasi privilegium concedi debeat, ut in numerum remediorum recipiatur, caussam nullam video.

Utut autem arsenicum & auripigmentum certissima, & tutissima sunt remedia febrifuga, non tamen sine certâ methodo & cautelâ illa in febribus præscribi author essem.

Primùm omnium illa non sunt danda, nisi prius vel per vomitum vel purgans materia peccans, quibus prima regio oppleta est, evacuetur. Secundò in exhibitione eorum ultra tria vel quatuor grana non est ascendendum.

Circa arsenicum præparandum non magnopere laborandum esse censeo, cum etiam crudum dextrè & methodicè exhibitum tutum remedium, & virtus arsenici caustica, in qua ejus virtutem venenatam residere, & quam per præparationem veram tollendam esse Medici & Chymici volunt, nos verò conservandam esse affirmamus, non formidanda, & illa ipsa sit, quæ morborum medicatrix est, quia in febribus intermittentibus crudos humores nihil magis corriget, vel crassos attenabit, & liquabit, in febribus malignis, nihil potentius fermento putredinali resistet, quàm virtus caustica. Ut ita doctrina Hippocratis aphor. 80. sect. 7. docentis: *Quæ medicamentum non sanat, ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ignis sanat, quæ ignis non sanat, ea consere oportet*

portet

portet esse insanabilia, etiam hîc applicari possit. Si igitur arsenici vis venenata omnino aufferetur, ipsum remedium ad morbos medendos inefficax redditur, non secus ac vim causticam in Mercurio sublimato, præcipitato, cantharidibus; purgantem in purgantib' fortibus; vim narcoticam in opio per præparationem non aufferendam esse, suo loco dicetur.

Nonnulli impurum & efferum sulphur, quo spiritus & sanguis inficiuntur, & corrumpuntur, arsenico inesse, illudque â puro per sollicitam præparationem secernendum esse statuunt, verùm quia istiusmodi sulphureæ, impuræ particulæ in arsenico & aliis venenis corrosivis falsò præsupponuntur, neque ea alio modo, quàm particularum suarum externâ figurâ acutâ, pungente, & membranosas & nervosas partes corrodente venenositatem suam exserunt, nullo modò verò spiritus & sanguinem inficiunt, & corrumpunt, qui infectionis & corruptionis modus solùm venenis præternaturalibus & ex putredine pronatis competit, neque ideò ulla præparatio institui meretur.

Si verò quis meticulosus arsenicum præparatum, & in quo ejus vis caustica & corrosiva quodammodo mitigata est, in usus suos exoptet, ei poterit inservire arsenicum ad modum â Joh. Quercetano in Alexicaco descriptum. ut Rec. Arsenic. alb. crystall. q. v. subliman-

limandum per se, deinde in aceto optimo per horarum duarum spacium decoquendum (sic enim nigredinem suam & farinam quandam corrosivam, deponit) Postea cum squamma æris iterum sublimandum, quod venenum ejus crassius (uti author credit) & nigrius retinebit, tandem bis terve cum sale communi præparato sublimandum, postea perfectè illud edulcorandum.

Alias præparationes Arsenici docet Kenelm Digby tract. remed. expertor. Joh. Schrœder. Pharmac. Verùm ut dixi, in arsenico præparando cum Joh. Helfrico Junckens admonendum est, ne arsenici natura omninò pervertatur, sed ut maneat ei sua qualitas. Quo etiam collimare videtur Helmontius dicens: Arsenicum per nitrum in sulphur astringens redactum miti suo veneno enecare ipsum ulceris fabrum, & cruoris corruptorem, quo ipso quid aliud innuit, quàm venenositatem in arsenico non tollendam, sed tantum mitigandam esse?

Potest etiam effrœnis arsenici vis caustica alio modo mitigari, si ei crudo associentur ea remedia, quæ ejus acrimoniam corrosivam obtundunt, qui modus ad malitiam arsenici corrigendam expeditissimus esse videtur, & veteribus Medicis, ut supra ex Avicennâ citatum fuit, in usu fuit. Hoc præstant crystallus montanus, lac bubulum recens mulctum, muci-

mucilago seminis cydoniorum cum aquâ rosarum extracta, emulsiones refrigerantes.

Nonnunquam in compositionibus adjiciuntur ea, quæ unâ cum arsenico ad eundem scopum collimant, qualia sunt antifebrilia, lapis bezoar, theriaca, sulphurea.

Exinde sequentes formulæ concinnari possunt. ℞. arsenic. alb. vel citrin. gr. iij. crystall. montan. ℈ß. camphor. gr. ij. bezoar oriental. ver. (pro divitibus) gr. iiij. m. f. pulvis pro unâ vice sumendus, in aquâ sequente.

℞. aq. cardui bened. fumar. scorzoner. ā. ʒvj. theriac. Andromach. ℈j. spirit. theriac. camphor. gt. vij. syrup. granator. dulc. ℥ß. m, d. ad vitrum.

℞. arsenic. citrin. (quod non minus potens esse, quàm album expertus sum) gr. iij. crystall. montan. ℈ß. fl. sulphur. gr. v. cum rob. juniper. s. q. formentur pilulæ vel. ℞. arsenic. citrin. gr. iij. bezoar. orient. ver. gr. iiij. cum theriacâ Androm. formentur pilulæ pro unâ vice sumendæ.

Hîc admonitione opus est, arsenicum in diffusis remediorum formulis non esse præscribendum, ne illud inæqualiter misceatur, atque major, quàm debet, ejus portio ægroto obveniat, quapropter melius est singulis dosibus addere debitam arsenici quantitatem.

Porrò notandum proprium antidotum venenorum corrosivorum esse crystallum monta-

montanum insigni refrigerandi virtute præditum, quo memini me in virgine quadam æstum & ardorem in ventriculo ab acri quodam medicamento sumpto ortum compescuisse. Syrupus è succo violarum cum aquâ nymphææ sumptus, itidem acrimoniam veneni corrosivi temperare potest.

Si jam ulterius quæritur, quibus arsenici usus conveniat, quibus non, dico illud prodesse naturis & corporibus frigidis & humidis, phlegmate, crasso, viscoso præditis, minimè verò calidis & siccis, & ad tabem pronis, & hypochondriacis nonnullis; verendum enim esset, ne remediũ acre & causticum jam humores nimis acres suo accessu ulterius acueret, & visceribus indelebilem noxam imprimeret.

Modò dixi in omnibus febribus intermittentibus peccare fermentum aliquod putredinale, sed remissum, & ex cruditate ortum, at mihi quis controversiam facere posset; & dicere, diversas febres etiam â diversis causis provenire, ita enim sensisse veteres Medicos statuentes quotidianas â putrescente pituitâ, tertianas â bile, quartanas â melancholiâ, oriri, idem recentiores sentire, qui in diversis febribus diversum massæ sanguineæ statum agnoscunt, verum enim verò qui naturam febrium intermittentium magis quàm libros Medicorum contemplatur, falsum hoc esse facile deprehendet. Eæ enim ab

iisdem cauſis procatarcticis producuntur, iisdem remediis curantur, ceu videmus febrifugum Riverianum, corticem Chini de China, arſenicum, auripigmentum, arcanum corallinum, præcipitatum ſolare, & reliqua febrifuga, non ſolum curare tertianas, ſed etiam febres quartanas, quotidianas, quod autem nunquam fieret, ſi hæ febres non unius matris eſſent ſoboles, quia diverſæ cauſæ etiam diverſa remedia requirerent, nec fieret tàm facilis mutatio harum febrium in alias, uti quotidie obſervare licet, quotidianas mutari in quartanas, tertianas, & has iterum in illas; quod miror hactenus tot in arte noſtra verſatiſſimos viros non animadvertiſſe. Neque ſcrupulum nobis injicere debet diverſitas ſymptomatum in his febribus, quod enim vel quotidie, vel tertio, vel demum quarto die harum paroxiſmi redeant, illud tantum indicat fermentum febrile modò activius & vegetius, modo ſegnius & craſſius eſſe. Nam hoc fermentum non maturatur niſi intra certum temporis ſpacium, licet ſemper ſit ex cruditate ortum, & unius ſpeciei. Sic ſi ſit vegetum, & intra unum diem maturatur, oritur febris quotidiana, ſi intra tertium diem, fit tertiana, ſi ſegne eſt crudius & craſſum, demumque quarta die ad maturitatem pervenit, fit febris quartana; ita multis difficultatibus obviam iri poteſt, quæ hactenus

ctenus ingenia torserunt. Non tamen dixerim ideò omnem medendi methodum planè negligendam esse, & unum calceum omnibus pedibus adaptandum, verùm eam pro ratione symptomatum, temperamenti ægrotorum, variandam.

Externè nullum scio, qui arsenicalia in febribus intermittentibus commendet, præter Fridericum Hoffmannum, qui Pharmac. Schrœder, l. 2. cap. 53. §. 130. emplastrum Magneticum Angeli Salæ lapidem arsenicalem in suam compositionem recipiens in quartanâ è regione lienis impositum se admodum proficuum expertum esse testatur. In quo Hoffmannus imitatus est exemplum veterum Medicorum, qui in tumoribus & scirrhis lienis, qui quartanis febribus laborantibus admodum familiares sunt, remedia caustica, immo quandoque ipsum ignem regioni lienis applicare solebant. Sunt tamen nonnulli recentiorum, qui remediis causticis carpis alligatis, ut ranunculo, ad profligandas febres utuntur. Quod verò Petro Foresto, uti testatur libr. 3. observat. 11. in scholio de febribus, non probatur, cur verò ei non probetur, nullam reddit rationem.

In peste multi sunt, qui externè & internè usum arsenici extollunt, ceu Mirepsus eo crudo in Antidoto Persicâ, & in antidoto Musæ Apollonio ascriptâ, usus est. Thomas Wil-

lisius libr. de ferment. cap. 13. scribit, catarctica & sudorifera ex Mercurio, antimonio, auro, sulphure, vitriolo, arsenico, quia â calore nostro non subiguntur, aut superantur, contra virus pestilentiale optima parari remedia. Habent enim, inquit, particulas valde fortes, & indomitas sese quaquaversum in corpore explicantes, veneni fermenta hinc inde gliscentia dissipantes, & â maturatione impedientes. Joh. Schrœder. libr. 3. cap. 26. arsenicum intrinsecus habere facultates ad curandam pestem, & reliquos morbos venenatos non inutiles. Matth. Unzerus de curat. pestis libr. 3. cap. 4. p. m. 225. inquit, Arsenicum" crudum summe septicum & corrosivum sa-" lis Hermaphrotitici adjectione fixum reddi-" tum innoxium & salutare prorsus evadit me-" dicamentum, cujus aliquot uncias absque" valetudinis damno devorare licet. Kenelm Digby part. 2. remedior. select. p. m. 454. docet quomodo arsenicum contra febres pestilentiales præparandum sit, quod probatissimum remedium esse ibidem asserit. Quam virtutem arsenici alexipharmacam eò minùs in dubium vocare debemus, quia in peste pariter, ut in febribus intermittentibus peccat fermentum putredinale, at non leve, ut in febribus intermittentibus, sed in summum malignitatis gradum evectum, atque ideo vires ægroti prosternens, horrenda symptomata

excitans

excitans, atque ut plurimum optima contra id parata præsidia contemnens, & quia in peste omnia atrocia accidunt, quæ veneno assumpto accidere solent, jure & meritò is morbus pro venenoso habetur. Graviter autem mihi errare videntur, qui morbos pestilentiales nomine venenorum naturalium insigniunt, atque eos vel arsenicales, vel aconitales, &c. appellant. Videntur enim hi magis effectum morbi, quàm ejus causam considerasse, & licet in peste tàm atrocia eveniant, quàm quæ venena hausta, & intra corpus sumpta excitare valent, causæ tamen toto cœlo differunt, & longè alia natura est veneni in corpore nostro pronati, ac quæ est venenorum vegetabilium & mineralium, non secus ac aqua omnes res corrumpit, atque destruit, æquè ac ignis, & tamen causæ utriusque corruptionis sunt planè contrariæ. Similiter videmus ab aquâ putredinis authore oriri æstus, incendia, ædium conflagrationes, non aliter ac ab igne, atque eadem quæ fiunt in macrocosmo, eadem etiam contingunt in microcosmo, & corpore animalis; sic â veneno caustico in nimiâ dosi sumpto oriuntur, æstus internorum, sites ingentes, partium inflammationes, corruptelæ, exulcerationes, gangrænæ, eadem etiam fiunt â fermento putredinali, ut æstus febrium, partium internarum inflammationes, sphacelismi, & carbunculi, & tamen causæ & cura-

curationes sunt dissimillimæ. Nam causticorum vis & energia dependet à principio igneo, & tollitur per refrigerantia, humectantia, aquosa, putredinalis veneni verò effectus dependet â principio aqueo, corpora resolvente, quibus resolutis principia eorum non amplius in iis perstant, sed sui juris facta abeunt, avolant, unde putrefactio, quæ ad sui ablationem desiderat calida & sicca, qualia præ aliis sunt caustica dicta. Exemplum ejus rei sint membra perusta gelu, & igne ambusta, utrumque affectum comitatur idem symptoma, nempe adustio, & tamen sunt diversissimæ causæ & curationes, quia in praxi semper est attendendum ad causam morbi, non verò ad ejus effectum. In quem finem in officinis duplex existit unguentum, unum ad membra perusta igne, alterum ad membra perusta gelu. Similiter aliter tractari merentur inflammationes, quæ proveniunt â fermento putredinali, aliter quæ oriuntur ab humore acri, caustico & corrosivo.

Hisce me probasse & sufficienter demonstrasse credo, venenum pestis â veneno caustico & corrosivo arsenicali planè differre, immò ei contrarium esse, & pesti ex sententiâ nonnullorum celeberrimorum Medicorum non inutiliter opponi, nec de successu ejus rei, si tempora pestifera (quod Deus avertat) inciderent, dubitandum esse., cujus usum etiam

alia

alia caustica remedia ad pestem â Medicis recommendata, ut euphorbium, Mercurius præcipitatus, uti alibi â nobis dicetur, approbant, licet non ausim dicere, istiusmodi Medicorum doctrinam semper imitandam esse, quia morbus cum summâ virium debilitate conjunctus, qualis est pestis, tàm violentorum remediorum usum vix sufferre posset.

Quantum oleum vitrioli in curandâ peste valeat, docet Raimundus Mindererus tract. de pestilent. cap. 17. Non desunt, inquit, " qui siccitatem hujus ingentem, immò causticam & adurentem vim valdè metuant, ac, " nescio, quo, scrupulo in erroneam conscientiam adacti, variis propriarum opinionum procellis hinc inde disjiciuntur, ut in " eorum exhibitione & hæsitent, & titubent, " ac interim (cum tanto bono per inertem & " inutilem, immò noxium metum defraudentur) in graves errores incidunt. Hi sanè parùm in artis operibus exercitati mihi videntur, (quod tamen pace ipsorum dixerim, ete " nim cum nec ego sine ratione exhibuerim, " licet millies hæc profuisse mõstraverit experientia. Rationibus non curantur morbi, sed " experimẽtis, experimentis verò sine ratione " non est temerè fidendum, interim tamen fidum ego præsidium non neglexero, tamet si " ejus ratio non mihi penitus constet. Oleum " vitrioli causticum est, & tamen cum infrigi- "

 danti-

"dantibus datum, atque porrectum, febres potenter extinguit, etiam ardentissimas, & qui syrupus secundo gradu refrigerabat, addito oleo vitrioli, tertium infrigitationis gradum attinget, idem de calidis esto judicium. Paradoxa hæc esse videntur, & â vulgari sensu & opinione remota, tàm diversos, imò contrarios effectus ab uno eodemque agente proficisci.

Quæ verba notatu dignissima ad totam nostram doctrinam de venenorum effectu & virtute medicâ applicari possunt. Nam quia multa eorum sunt caustica & corrosiva, non tamen ideo merentur esse suspecta, ut quæ non secus ac oleum & spiritus vitrioli in expugnandâ malignitate summe efficacia ipsa experientia docet. Ceterùm quomodo calidissima & caustica remedia refrigerent, ejus ratio ex modò dictis facilè colligi potest, estque ea, quia in peste & febribus malignis æstus & inflammationes â fermento putredinali dependent, quod verò caustica remedia destruunt, quo destructo, etiam effectus ejus cessat. Plura in hanc rem cap. de Nuce vomicâ afferentur.

Vesicatoria quidem in peste & febribus malignis solum externe usurpantur, sunt tamen & ea remedia saluberrima, non obstante, quod ipsa suum effectum principio igneo debeant.

Externè

Externè in peste arsenicum duplici modo inservit, vel præservando, vel curando.

Ad curationem deprædicat Angelus Sala in tractatu de Peste suum emplastrum magneticum, quod ita componitur. ℞. gum. Sagapen. ammon. galban. ā. ℥iij. ceræ virgin. terebinth. coct. ā. ℥iiiiß. magnet. arsenical. subtiliss. pulverisſ. ℥ij. rad. ari ℥j. Gummata depurentur cum aceto squillitico, & ad consistentiam emplastri coquantur. Lapidis arsenicalis hæc est descriptio. ℞. antimon. crud. sulphur. viv. arsenic. alb. ā. q. v. pulverisata subtilissimè lento igne liquefac. Vase refrigerato eximatur materia, quæ frigore indurescit. Hoc emplastrum carbunculis obductum, inquit ejus author, paucis horis venenum extrahit, excellentissimum & specificum est ad attrahendum virus pestiferum ex profunditate ad extra, præcavetque nè vicissim ad interiora regurgitet, & cor ipsum suffocet, ut credam inter omnia toxica simile remedium non inveniri. Eadem etiam de hujus emplastri virtute referuntur â Frider. Hoffmanno Clav. Schrœder. Pharmac. licet ejus descriptio cum Angeli Salæ variet, qui itidem virtute ejus magneticâ omnem venenositatem ab imo ad circumferentiam extrahi dicit, nec ulcus malignum ante omnimodam veneni extractionem coire emplastrum hoc pati, asserit. His consentiunt Thom. Willis, Joh. Do-

læus, Joh. Agricola, & alii. Similem effectum edit hoc emplastrum in vulnere â canis vel alius animalis rabidi morsu applicatum, cujus usum ideo suadent in hoc casu nonnulli Excellentissimi Medici, inter quos est Michael Ettmiller cap. de deliriis.

Ego verò uti de hujus emplastri virtute nullus dubito, quia præstantissima remedia simplicia antiloimica ejus compositionem ingrediuntur, quodque etiam Augustani olim dignum esse censuerunt, ut eorum corpori pharmaceutico insereretur, licet & hodiè ab iis, sed non tàm propter suas virtutes, quàm sana tempora antiquatum fuerit, tum quoque quod Galenus, Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, & alii gravissimi authores causticis, ut arsenico, flammulâ, calce vivâ, & ipso igne ad anthracum pestilentialium curationem, eorumque malignam putredinem tollendam usi fuerunt, item Theodorus Mayerne tract. de Peste cap. 3. trochiscos de arsenico authracibus apertis indere jubeat, quo dolore virus ad partem attrahatur; præsertim si infra bubonem sit carbo, tum ut simili veneno (ex hypothesi loquitur) virus in parte extinguatur. Nec non Joh. Langius, uti ejus epistolar. l. 3. cap. 9. similia remedia, ut unguentum ex sale ammoniaco, cantharidibus, & mercurio sublimato constans ad occidendos anthraces adhibuerit, ita quod arsenicum

&

& alia hujus ſortis remedia virtute quadam magneticâ, quâ venenum alterum ſibi ſimile ad ſe trahere dicitur, illum ſuum effectum edat, nunquam concedam, quia, uti jam fuit oſtenſum, venenum peſtilentiale non eſt naturæ arſenicalis, ſed ei omninò contrariæ, quia venenum peſtilentiale ex corruptione putredinali oritur, hoc verò corruptioni putredinali, non aliter ac ipſe ignis, reſiſtit.

Præterea poſſet dici, ſi arſenicalia agerent in virus peſtilentiale illud naturæ ſimilitudine ad ſe alliciendo, ea internè in peſte exhibita potius noxia eſſent, quia tunc virus omne ab externis ad ſe ad interna traherent, quia verò internus arſenicalium uſus non minùs quàm externus nonnullis Viris & Medicis celeberrimis, quorum authoritati & fidei aliquid detrahere nefas eſt, probatur, ex eo conſtat, hanc virtutem magneticam neque arſenico, nec aliis cauſticis remediis ineſſe, ſed ſolummodò eam ab illis iis, qui veneni peſtilentialis naturam ignorant, affingi.

Ad præſervationem â Peſte quam plurimi Medici magnifaciunt amuleta ex arſenico, ut Antonius Lacuna, Porta, Cæſalpnius, Jordanus, Rulandus, Dominicus Tirellus, Niddam, Salius, Mercurialis, Simonius, Theodoſius, Jobertus, Petrus Monavius, qui l. 5. epiſtol. medic. â Scholzio collect. p. m. 574. & 558. refert amuleta ex arſenico ſacculo incluſa

clusa appenso, & supra cor gestato tempore infectionis plerosque aulicos usos fuisse, neminem inde læsum, nisi unum alterumve, qui nudæ carni id apposuerunt, & sudores non exquisitè deterserunt, in quibus pustulæ quædam circa regionem cordis, sine tamen periculo â vi illius causticâ exortæ sunt. Andreas Cæsalpinus libr. 3. Specul. art. medic. cap. 3. inquit, ut quis inter infectos tuto versari & contrectare possit res pestilentes, hodie compertũ est remedium extrahens evaporationes virulentas, si applicetur ad arterias in carpo, & ad regionem cordis pulvis auripigmenti, aut sublimati addito croco, garyophylis, cinamomo, aut similibus inclusis omnibus in sacculum sericum, ne partem exulceret. Cui sententiæ etiam subscribit Dominicus Tirellus in Antilogiâ de vesicantib. cap. 5. dum contra Bernhardinum vesicantia ex deleteriâ substantiâ rectè & summâ cum ratione componi demonstrat. atque frustra esse dicit perniciosas qualitates
" ab arteriis intrò rapi, ut vesicantium usus
" contemnatur, hoc enim est contradicere
" Galeno, qui venena extra posita ad alia ve-
" nena evocanda locis citatis proponit, hoc
" adversum experientiæ, cum illi sacculi con-
" fecti ex rebus apprimè veneficis, & gestati in
" locis, ubi venarum & arteriarum copia exi-
" stit, & maxima est cum corde affinitas & pro-
" pinquitas, non noceant, quin potius juvent,
" atque â Peste homines præservent. Ve-

Verùm neque authoritates dictorum Medicorum, neque experimenta ab iis allata, tantùm valuerunt, quo minus alii contrarium sentirent, adeò præconceptæ opiniones animum nostrum occupant, ut etiam ipsi experientiæ obloqui non vereamur. Inter eos est Gerhardus Columba, Hercules Saxonia, Horatius Augenius, Gregorius Horstius. decad. 10. quæst. medic. 9. Zacutus Lusitanus amuleta ex arsenico tanquàm remedium suspectum & calidissimum proscribit. Quod ipsum etiam facit D Stephanus Blanckardus. Quibus ego regero, si arsenici usus ad præservationem externè in amuletis, uti illi opinantur, periculosus est, quantò periculosior esset ejus usus in ipsâ peste, & præsente jam veneno, tunc enim venenum externum vires interni augeret, quod tamen non solùm innoxium, sed etiam ægroto summe proficuum, in suprà memorato emplastro magnetico experti sunt, Hartmannus, & Angelus Sala. Unde inferre licet, si venenum arsenicale in emplastro magnetico præsens pestis venenum expugnare valet, illud etiam, si corpus nostrum adoriri vult, ab eo arcere poterit, atque easdem obtinebit qualitates ad præservandum â peste, quas habet ad eam curandam. Et miror D. Stephanum Blanckardum in amuletis contra pestem usum arsenici improbare, qui tamen in ipsâ pestis curatione emplastri magnetici

gnetici

gnetici usum admittit. Et si vis Arsenici corrosiva in emplastro Magnetico non est formidanda, cur ea in amuletis formidari mereatur? Nec vis arsenici calidissima & caustica est timenda, cum ipse Hippocrates aerem igne succenso ab inquinamento pestifero repurgasse, atque incolumes â peste præservasse historiarum monumenta prodant, & Nannus apud Petrum Forestum affirmat ad perimenda luis pestiferæ semina cauterio actuali nihil potentius esse, ut ita de Arsenico vires ignis æmulante, quin ab ejus usu ad præservationem & curationem pestis saluberrima quæque sperari possint, non dubitandum sit, imprimis cum etiam alia caustica remedia, qualia sunt oleum & spiritus vitrioli, aqua fortis aurifabrorum, Mercurius sublimatus, præcipitatus, buthyrum antimonii, vesicatoria, &c. tàm internè, quàm externè ad pestem curandam usurpari soleant. Ut jam nihil dicam de spiritu vini camphorato, tincturis bezoarticis, aliisque aquis alexipharmacis calidissimis. Inferre porrò licet, â citatis Medicis in peste usum vesicatoriorum, propugnari. Quæ si non minùs quàm arsenicum caustica & venenata sunt, quo jure arsenici usus in morbis malignis ab ipsis rejicitur & condemnatur.

Quomodo vero arsenicum in amuletis vim suam exserat, an ob similitudinem venenum pestis ad se alliciendo, an contrariis qualita-

qualitatibus, ut alia alexipharmaca faciunt, illud oppugnando ex modò dictis facile colligi potest, atque ex infra de nuce vomicâ dicendis ulterius patebit.

Parantur autem amuleta ex arsenico, sumendo ejùs quantum placet, illudque pulverisando, & cum gummi arabico, aut mucilagine tragacanthi placentulas formando, quæ deinde in ùmbrâ siccantur, atque sacculo serico inclusæ supra cor gestantur. Si arsenico alia alexipharmaca remedia, ut crocum, camphoram, Zedoariam, radicem tormentillæ adjungere placet, ei est liberum. Vel ad mentem Thomæ Willisii, qui amuleta ex arsenicò, Mercurio, & bufonibus exsiccatis contra pestem commendat, & juxta præscriptum Theod. Mayerne tract. de febrib. cap.3. ℞. bufon. terrestr. in cliban. vel ad solem. exsiccat. nō. ij. arsenic. crystall. auripigm. mercur. submat. ā. ℥iv. pulv. gentian Zedoar. rutæ, scord. ā. ʒiv. garyophyll. mac. ā. ʒiij. camphor. ℈j. M. f. pulvis subtilis pro sacculis interbastatis, vel cum mucilagine gummi tragacanth. f. scutum instar cordis. Nota hanc pastam nudæ carni admotam incalescentem, & sudore humectatam, cutem rubificare, vesicas excitare, quare tunc removenda. Similiter Jacobus Carpensis placentam ex arsenico albo & rubro, & albumine ovi, vel mucilagine tragacanthi digiti crassitudine confectam, lin-

teolo

teolo insutam, serico inductam, de collo supra cor appensam contra contagium pestis comendat. v. Wecker. in tractatu de trochisc.

Quod verò hæc amuleta in nuperà peste Noviomagensi, non Doct. Diemerbrockii, non in Londinensi Domini Hockges expectationi satisfecisse testetur D. Joh. Dolæus, uti in Encyclop. libr. 4. cap. 5. de febrib. extat, illud non statim eorum inutilem applicationem probat. Fit enim sæpius ut virus pestilentiale fortius sit, quàm ut solis externis amuletis arceri & profligari possit, & quod etiam alia quamplurima, ab infinitis authoribus plenis buccis laudata, atque ad cœlum usque encomiis sublata in usu & experientiâ deinde sæpius invalida deprehendantur, quæ tamen statim numero remediorum antiloimicorum eximere nemo conatur. Sine dubio præconcepta de Arsenico opinio, quâ venenatâ suâ qualitate cordi infensum esse creditur, multum contribuit ad infamanda amuleta ex arsenico confecta, & ut nonnulli casus funesti ejus usui fuerint asscripti, qui tamen magis ferociæ morbi imputandi fuerunt. Idem olim Medicos Γαλενικωτάτυσ factitasse vidimus. Illi enim ut omnibus arte chymicâ præparatis fidem derogarent, atque suas solummodo merces ægrotis obtruderent, omnes feliciter per ea remedia factas curationes silentio premebant, vel malignà fide referebant, infelices

ces verò, quæ violentiæ morbi, aut remedio præpostere, aut imprudenter exhibito ascribendæ erant, innoxiis remediis, imputabant. Adeò etiam in eâ arte, ubi de hominis sanitate & vitâ agitur, non veritatis, sed partium studio ingenia agitabantur. Licet hæc cacoethes etiamnum in Medicinâ duret, ambitione & invidiâ omnia sibi vindicante, atque animos Medicorum in perversa judicia, ceu æstu quodam abripiente, dum invidi aliorum egregie inventa apud simplices & credulos, qui nunquam desunt, tanquam vana & inutilia traducunt, ambitiosi verò omnia majorum asserta, sive vera sint, sive falsa, nulla habito discrimine contemnunt, & nova in arte principia sibi fingunt. Neutra pars veritati litat, utraque pro suis erroribus acerrime pugnat. Sed redeo ad propositum.

Non desunt Medici, qui arsenici usum in asthmate etiam internè commendant. In hunc finem Avicennas pilulas suas asthmaticas ex resinâ vel gummi pini & arsenico paravit. Joh. Langius libr. epistol. 3. cap. 7. p. m. 847. refert Georgium Wirthium Ludovici Regis Ungariæ Medicum in asthmaticis & orthopnoicis desperatis electuario usum fuisse ex specier. diaireos ℥j. arsenic. pulverisſ. ℥ß. succ. urtic. ℥ij. mellis rosat. quantum sufficit. Misceantur omnia exactè, & fiat electuarium, cujus dosis quantum magnitudo avellanæ æ-

 quat.

quat. Quidam Medicus D. Myrthinus habuit pulverem asthmaticum, cui in substantiâ amiscuit tantillum arsenici, & valde commendavit in asthmate, uti refert D. Michael Ettmuller. Schrœder. Dilucid. Mineral. p. m. 282. licet rem hanc periculosam esse ibidem judicet, atque usum arsenici internum & externum rejiciat.

Quod autem arsenicum in asthmate cum ratione & methodicè præscribatur, mihi probare, atque argumenta in contrarium directa evertere non est difficile. Nam oritur asthma utplurimum â pituitâ sanguinem coagulante, eumque quasi congelante. vel quando pituita concreta vasa sanguiflua circa cor & pulmones obstruit, quibus obstructis sanguis per vias respirationis, & cor ipsum non ritè moveri, & circulari aptus, in illis subsistit, & in cursu suo intercipitur, non aliter ac apoplexia oritur, quando propter sanguinem in cerebro ejusque vasis coagulatum, vel propter pituitosas concretiones venas & arterias carotidas obstruentes sanguis ibi sistitur, ejusque cursus & motus impeditur, uti in alio loco docui. Hippocraticus quispiam Medicus diceret, asthma fieri ab interceptione venarum circa cor & pulmones, non ac si venæ & arteriæ ipsæ interciperentur, sed sanguis in arteriis & venis contentus, quam interceptionem Hippocrates ἀπόληψιν τῶν φλεβῶν nominavit.

Rem

Rem ita se habere non solùm symptomata, causæ procatarcticæ, & curatio asthmaticarum affectionum, sed ipsa ocularis inspectio cadaverum asthmate & catarrho suffocativo defunctorum demonstrat. Unde D. D. Greisselius Decur. 1. Anni 1. Ephimer. Natur. curios. se in dictis affectibus corpora callosa, viscida & glutinosa vel in cerebro, vel in corde. vel in ambobus simul reperisse testatur. Eadem observavit D. D. Joh. Dolæus, qui Encyclop. Medic. libr. 1. cap. 13. se multos apoplexiâ ad cœlestia raptos aperuisse, &, si non in omnibus, saltem in pluribus sanguinem in vasis coagulatum, vel in cerebrum effusum, vel in venis ejus concretum, immò in ipsis præcordiis polypos invenisse, ex quo rectissime concludit interceptum fuisse sanguinis cursum, eaque imprimis obesis, & nimiâ corpulentiâ præditis obtingere, quorum status semper sit periculosus. Similem historiam apoplectici â polypo ex pituitâ concretâ constante, & arteriam aortam & venosam obstruente proponit Nicol. Tulpius libr. 1. observat. 27. Pari fato occubuit Medicus celeberrimus Carolus Patin.

Et licet memorati Medici solius apoplexiæ mentionem faciant, verisimilius tamen est, ægrotos, qui polypos circa cor & pulmonem habuerunt, suffocatos periisse, suffocatione speciem apoplexiæ præ se ferente, vel his affectibus invicem complicatis.

Hanc fieri concretionem etiam sæpe in sanguine per phlebotomiam educto conspicere licet, & me aliquando præfuisse memini curationi cujusdam viri nomine Leonhardi Glaser Lanionis, qui febre malignâ, & asthmate laboraverat. Hujus sanguis per venam incisam eductus cooperiebatur pelliculâ candicante ita concretâ, ut ne quidem ligno acutiore pertundi potuerit. Quod maximè miratus fui.

An autem illa pituita concreta, seu sanguis coagulatus, qui se in asthmaticis ostendere solet, fit ab acido, ut multi volunt, jure dubitatur. Qui id affirmant, dicunt acidum sanguinem coagulare, atque in ejus rei probationem experimenta in canibus facta adducunt. In eorum venas incisas liquor, seu spiritus acidus per siphonem injicitur, â quo sanguis grumescit, ac canes suffocantur, & pereunt. Similia etiam in asthmaticis fieri permulti credunt. At opponi potest, si acidum in asthmate peccat, cur acida pro asthmaticis â Medico non solùm præscribantur, sed etiam cum fructu usurpentur? Experimenta in canibus instituta fallacia esse. Nam ab acido immediate in venas infuso non argumentari licet ad acidum intra corpus sumptum, & in ventriculum ingestum. cum diversus sit operandi modus acidi in corpus assumpti, & in venas immediatè infusi, ac ut

hoc

hoc ſanguinem coagulat, ita illud ſanguinem reſolvit. Sunt enim particulæ acidorum acutæ, penetrantes, pungentes, atque ad humores viſcidos, pituitoſos diſſecandos & incidendos idoneæ, quos in aſthmate peccantes ab acidis feliciter reſolvi obſervare licet, qualia ſunt acetum commune, ſquilliticum, oxymel ſimplex & ſquilliticum, ſpiritus ſulphuris, oxymel de nicotiana Quercetani, helleboratum Juliani, Geſneri, oxymel pectorale Cratonis. Atque eadem virtute etiam alia antaſthmatica prædita ſunt, ut rad. ari præpar. enulæ, ireos florentinæ, bryoniæ, gummi ammoniacum, ſulphur. ejus flores ſimplices & myrrhati, magiſterium benzoe ejusque flores, ſemen erucæ, ſquilla, nicotiana. Quia verò arſenicum etiam acutiſſimis & penetrantiſſimis particulis inſtructum eſt, nullum eſt dubium quin & illud in aſthmate egregiam commodet operam, atque jure ab Avicenna & Wirthio contra aſthma fuerit præſcriptum, quod quàm potens ſit in liquandâ pituitâ concretâ, vel coagulatâ diſſolvendâ oſtendere poteſt ejus egregius uſus in reſolvendis & emolliendis tumoribus ſcirrhoſis, tophaceis, duris, ſtrumoſis, excreſcentiis, polypis, verrucis, carunculis abſumendis, ceu quoque etiam alia cauſticâ in ſimilibus caſibus ſunt efficaciſſima, & nulli ſecunda remedia. Unde ſi quis pulveri cuidam pectorali ex ſuperioribus laudatis

tis simplicibus parato unum vel alterum granum arsenici adjiciet, remedium non parùm validius reddet, nec de periculo ullo sibi metuet. Sic ℞. rad. ari præp. ℈ß. fl. sulph. gr. v. fl. benzoe gr. iij. croci orient. arsenic. citrin. ã. gr. ij. vel iij. m. f. pulvis, qui in aq. hyssop. ℥ij. oxymel. squillit. ʒß. detur pro unâ vice. Valet in asthmate, & catarrho suffocativo. Vel ℞. pilul. de gummi ammon. ℈j. arsenic. citrin gr. iij. m. f. pilulæ, quæ pro unâ vice dentur in aq. hyssop. & syrup. de erysimo Lobelii. Efficaces sunt ad corpora viscida, callosa, glutinosa in asthmate peccantia resolvenda. In quo imitamur eos, qui etiam externè effectum emplastri de ammoniaco adjecto arsenico, mercurio præcipitato, sublimato, in resolvendis tumoribus duris, scirrhosis intendere student.

Istiusmodi pilulæ etiam in obstructionibus, scirrhisque lienis & mesenterii locum habent. Sed in asthmate à materiâ acri, calidâ, Willisio convulsorio dicto, arsenicalia, sulphurea & alia acria non convenirent, sed melius curatio per lubricitantia, emollientia, & nervina, ut oleo expresso amygdal. dulc. millepedibus præparatis, spermate Ceti perficeretur.

In pulmonum affectibus ex catarrhis crassis Joh. Schrœderus Pharmac. libr. 3. cap. 27. tanquam specificum deprædicat sequens. R. arsenici quantum placet, sublima, bis vel ter in arenâ, semperque separa pulverem subtilissimum,

mum, qui cucurbitæ instar farinæ volatilis adhæret (eam enim esse venenum arsenici credit) partem crystallinam misce exactè cum] floribus sulphuris, & sublima. dosis gr. jv. ad vij. Eadem etiam laudantur â Kinelm Digby medicament. expert. part. 2. Avicennas 10. 3. tract. 5. cap. 6. arsenicum cum galbano suffiendum præscribit.

Notabile exemplum phthiseos desperatæ, & per suffitum â trochiscis ex arsenico constantibus, & prunis injectis excitatum, curatæ, habet observatio 2. Anonymi cujusdam observationibus Riverianis annexa p. m. 690. 2.

Plures suffitus ex arsenico parati, & contra plures morbos directi, deinde describentur.

Auripigmento unâ cum aliis caustic is ad dysenteriam, & inde nata ulcera intestinorum diuturna cacoethica sananda usi sunt permulti veterum Medicorum, & ipse Galenus, quorum descriptiones videri possunt in ejus libr. 9. de compos. Pharmac. secund. loc. p. m. 409. Ex formulis remediorum, quibus utebantur unam tantùm alteramve annotabo. ℞. ciner. chartac. ℥x. alumin. sciss. drachm. iiij. sandarach. ℥iij. croci, succ. papaver. ã. ℥ij. auripigment. ℥iiij. squam. æris, omphac. ã ℥iij. calcis viv. ℥v. trita misce, & excipe vino dulci, ac forma exinde pastillos ad ℥j. ij. iij. pondere. Usus tempore vino austero dilue ad strigmentitiam crassitudinem, amisceque su cci

ptisanæ ciathos duos. Infundito hæc simul ægroto, ita ut tùm de succo ptisanæ, tùm de pharmaco pro viribus ipsius sumas. Hoc remedio ad exùlcerationem in intestino recto factam usus fuerat Isidorus.

Vel ℞. auripigment, ℥x. chart. ust. ℥xxx. sandarach. ℥vj. calc. viv. ℥x. vel ut alii xij. cogito in pastilios pondere ℥iiij. & cum plantaginis succo in quo spissamenta incocta sunt, infundito, aut in vini diluti cyathis iij.

Experimentum hujus rei habetur ex Rhasis 13. continent. tract. 3. cap. 2. his verbis „ notatum: Denunciavit mihi quidam No„ tarius, quod quidam nomine Ginazir cly„ sterizavit eum cum pulvere citrino in quan„ titate aur. ponder. i. amixto in unciâ unâ ol. „ rosat. crud. unde præcepi ei, ut clysterizaret „ eum cum sublimato, dixit, quod reversus est „ fluxus de centum sellis ad decem, & conva„ luit per 15. dies. Deinde rediit passio, & per „ eandem curam iterum convaluit. Verba ejus citata habentur in Zacut. Lusitan, libr. de Medic. Princip. histor. 86. libr. 2. p. m. 332.

Notatu dignissima est historia, quam refert Zacut. Lusitan. Prax. admirabil. observ. 20. „ Sævam, inquit, dysenteriam ex ulcere in„ testinorum profundo patiebatur Dux qui„ dam Generosus per multos menses, qui vi„ gil, inappetens factus, sævis torminibus af„ flictus, tabidus in horas moriturus timeba„ tur,

tur, febriculâ tenui, colliquante detentus. "
In hujus curatione variam medicamento- "
rum sylvam experti erant Medici. Ex tribus "
solum levamen aliquod sensit, sed iterum, "
recrudescente affectu, in pejus ruebat. Pri- "
mum fuit, salvatellæ dextræ sectio, & epi "
thematum usus; secundum, lactis ustulati "
potus; tertium, cotoneum excavatum, & "
intra cerâ albâ repletum, extra massâ circum- "
litum, deinde prunis admotum, quoniam li- "
quefacta cera sese in cotonei carnem insinu- "
at, cujus esu ante omnem cibum levamen "
aliquod sensit; nam hisce ad tempus restri- "
ctus est fluxus, tamen asperato affectu lap- "
sus est in deterius. His visis in conclama- "
tâ dysenteriâ muriam salsorum piscium, & "
olivarum per intervalla infudimus, cujus u- "
su aliqui revixere aqud Galenum 12. de me- "
thod. cap. I. Sed cum hæc non proficerent "
ad caustica, & crustam inducentia accessi, "
sicque paravi clysteria ex lacte chalybeato "
cum granis iiij. arsenici, & granis tribus alu- "
minis benè permixto. Hoc enemate cum "
decies viginti dierum intervallo esset usus, "
sanitati restituitur, firmitatem assumit, & qui "
cadaver repræsentabat, obducto intestino- "
rum ulcere, firmatâ alvo, robustus evasit. "
Nec mireris. Nam ubi unica via salutis est, "
ea, licet cum periculo, est tentanda. Hunc "
modum curationis docuere Galenus l. 9. de "

com-

compos. medic. sec. loc. c. 2. & 9. simplic. "
cap. 5. Avicennas 16. 3. tract. 2. cap. 7. Hæc "
enim si lacte contemperentur, & singulis "
drachmis illorum opii granum unum adda- "
tur, ut monuit Hollerius libr. 1. de morb. in- "
tern. cap. 40. non nocent, immò putrilagi- "
nem absumunt, exsiccant, impensè arctant, "
glutinant, & crustam inducunt, ex Pauli edi- "
cto libr. 3. cap. 42. Eis ergò utaris, quan- "
do ulcera serpendo depascunt. Nam Avi- "
cennas multis in locis Arsenicum exhibet in "
potum in phthisi, asthmate, casu, offensione, "
in paucâ quantitate, & contemperatum eis, "
quæ ejus malitiam obtundunt. Quod non convenit cum verbis Michaelis Ettmulleri, qui Schrœder. dilucid. cap. de Arsenic. scribit de Medicis veteribus, quod in gravissimo asthmate arsenicum ad drachmam dimidiam exhibuerint, nec fere credibile est, eos in usu remedii violenti tâm improvidos fuisse.

Ceterùm in casu Zacuti proposito multa enumerantur, quæ diligenti consideratione dignissima sunt. Enumerat enim affectum gravissimum methodicè curatum. Gravissimus erat ratione temporis. Ægrotus enim jam per multos menses eo erat affectus, & ut morbi in principio facilè curationem recipiunt, ita neglectâ sanandi occasione immedicabiles sæpius redduntur; ratione symptomatum, aderant enim perpetuæ, vigiliæ, inappetentia, febricula,

febricula, tormina sæva, tabes, & tanta virium prostratio, ut in dies moriturus timeretur. ulcus intestinorum, & quidem profundum, quod ab excretis per anum carunculis (Græci ephelcides appellant) colligere licuit, & Hippocrates aphor. 26. sect. 4. lethale signum esse pronunciat; ratione loci affecti, qui erant intestina ulceribus cacoethicis, & putrilaginosis obsessa, quod itidem propter partis hujus dignitatem, & officium, cui â naturâ destinatur, valdè erat periculosum; denique quia affectus initio remedia spreverat, atque ad sui curationem remedia generosiora poposcerat; unde quia is remediis velitantibus non cesserat, â triariis, quale est arsenicum, auxilium & implorabatur, & impetrabatur, morbis enim extremis, extrema remedia sunt opponenda. Imprimis ulcera crassorum intestinorum sordidiora, serpentia, & putrilaginosa ad sui ablationem remedia valida exigunt, quia intestina semper mucosis humiditatibus, quæ ulcerum curationem remorantur, sunt oblinita, & valdè exsiccantium, & acrium usum facilè perferunt. Neque arsenicum sine summâ cautione datum. Fuit enim exhibitum in paucâ quantitate, & ad grana tantùm quatuor, quod in usu arsenici & auripigmenti semper est observandum, quæ vel internè exhibita, vel per clysteres in alvum injecta, vel externè in paucâ quantitate applicata

cata dignitatem præstantissimi remedii tuentur, in largiore verò dosi usurpata in sævissima venena degenerant. Erat præterea arsenicum injectum cum lacte, quod omnium Medicorum calculo causticorum remediorum proprium est antidotum, eorumque acrimoniam mitigat. Non mirum igitur curationem ex voto ægri & Medici successisse, quia arsenico mirabilis vis inest, ulcera persanandi, & àd cicatricem perducendi. Unde Helmontius tit. Scabies & ulcera scholar. paragraph. 31. " inquit: Realgarem per salem petræ fixum, " atque in astringens sulphur mitigatum sexa-"ginta fortè ulcerum diversitates extinguere, "non quia rodit, exeditque (etenim sic non " sui edulcorationem cum repetito spiritu " vini exposceret) sed quia venenum jam mite " habet, quo ipsum ulcerum fabrum, cruoris-"que corruptorem (hic nota arrogantem Chymicorum nonnullorum pennam, qui sæpius suis præparationib' tribuunt, quod rebus ipsis naturalibus tribuendum est) est enecando.

Si jam quæratur, quinam sit ille ulcerum faber cruorisque corruptor, certè ille non alius est, quàm excessiva quædam humiditas corpus resolvens, atque ab eâ pronatum miasma putrèdinale, corruptivum, cui extirpando caustica remedia unicè â naturâ producta esse credendum est. Et licet Helmontius tantùm de arsenico præparato loquatur, attamen etiam

iam crudo hanc vim inesse non ambigi meretur. Verùm absurdum esse cuidam videri posset, in affectibus dysentericis & ulceribus intestinorum ejusmodi exhibere remedia, quæ ipsa tormina & cruciatus dysentericos excitare, intestina corrodere, immo perforare valent, uti in cadaveribus veneno arsenicali peremptorum fuit observatum. At dispar est ratio ulceris â veneno caustico inducti, ab eo quod â miasmate dysenterico provenit, atque idem error est, credentium venenum dysentericum esse naturæ arsenicalis, ac est, qui virus pestilentiale arsenicale nominant, uti jam fuit â nobis dictum, quia tàm dysenteria, quàm pestis oritur â fermento putredinali contagioso, cui virtus arsenici caustica omnibus viribus resistit. Ceterùm arsenicum solummodò in magnâ quantitate sumptum ventriculum & intestina lædit, atque corrodit. Præterea monendum est per dysenteriam hîc non intelligi illam epidemicam, publicè grassantem, & intra paucos dies homines interimentem, qui morbus utique remedii arsenicalis violentiam non ferret, sed chronicam, seu diuturnam, & quæ ab ulcere imprimis intestinorum crassorum provenit. In hoc casu ad curanda ulcera interna intestinorùm cum veteribus, & eorum causam agente Zacuto Lusitano de Medic. Princip. histor. libr. 2. histor. 86. dubio 50. maximâ cum ratione caustica

in

in parvâ quantitate, & unâ cum illis ea, quæ illorum malitiam reprimunt, infundi possunt. Tunc enim, ut sonant verba Zacuti, major est utilitas causticòrum, quàm noxa, quæ ipsa melior est, quàm mors, quæ ex ulcere cacoethico serpente magis ac magis imminet, atque impendet. Quapropter reprehensionem merentur illi Medici, qui hanc curandorum ulcerum intestinalium modum ut temerarium perstringunt, atque â doctrinâ Virorum in arte nostrâ Principum deficiunt.

Phthisicis, & qui saniem habent in pectore Avicennas Arsenicum in potu exhibet, qui ob id â Ludovico Lemosio reprehenditur, verùm â Zacuto Lusitano defenditur. Si enim, inquit Zacutus loc. cit. in paucissimâ quantitate & saccharo rosaceo permixtum arsenicum exhibeas, prout id faciendum suadet Avicennas, hunc à calumniâ vindicabis, qui illud 10. 3. tract. 1. cap. 40. ad asthma cum gummi pini propinat. Miror autem hîc arsenici exhibitionem in phthisi ab Avicenn[illegible] peratam Zacutum probasse, qui tamen [illegible] hujus remedii usum planè reprobat. N[illegible]n in alio loco, ubi pilularum Avicennæ mentionem facit, quæ arsenicum recipiunt, contendit Avicennam per arsenicum nihil aliud intellexisse, quàm Græcorum tragacantham, & credit Avicennam non ita improvidum fuisse, ut tàm perniciosum venenum, quale est arsenicum,

arsenicum, & quod etiam in paucâ quantitate sit noxium, ægrotis obtulisset. Verùm Avicennæ consilium ipsum arsenicum asthmaticis exhibentis non temerarium, sed utile fuisse, nec defensione Zacuti opus habere, hactenus prolata probant. Illud autem etiam phthisicis prodesse probat ratio. Nam in phthisi plerumque adest corruptio & exulceratio pulmonum, ad quam curatio principaliter est dirigenda, at arsenicum maximas obtinet virtutes ulcerum fabrum & corruptorem cruoris (ut iterum cum Helmontio loquar) necandi, ceu quoque alia antiphthisica virtute balsamicâ & mumiali, quâ corruptioni resistunt, prædita sunt, qualia sunt guajacum, omnia ex sulphure præparata remedia, balsamus peruvianus, item medicamenta vulneraria. Ad quem finem obtinendum â nonnullis Practicis etiam maximi æstimantur suffitus ex siccantibus, aromaticis, & arsenico parati, quia atomi arsenicales unâ cum aliis ad rem facientibus per inspirationem in corpus attracti immediatè ad pulmones deferuntur. Tale est suffimentum ex Rondeletio descriptum ℞. gumm. heder. torrefact. coriandr. rosar. rubr. santal. mastich. thur. myrrh. cortic. thuris ā. ʒiij. benzoe, ladan. pur. styrac. hypocistid. ā. ʒij. auripigment. ʒj. pulverisata excipe cum terebinthinâ, & fiant trochisci, quibus igni injectis fumigentur capitis operimenta.

menta. Efficax est ad ulcera narium, aurium, pulmonum, uteri. Vel ℞. coriandr. præpar. rosar. rubr. ā. ℥j. ladan. pur. hypocistid. ā ℨiij. santal. alb. rubr. blattæ. bizantin. ā. ℨij. capit. papav. cortic. mandragor. ā. ℨij. styrac. benzoe ā ℥j. auripigment. citr. ℨß. cum mucilagine tragacanth. & gumi arab. in aq. rosar. dissolut. s. q. f. trochisci.

Utere iis uti prioribus. Neque timendum est, fumum arsenicalem per inspirationem in vitalia tractum nociturum esse. Nam 1. Auripigmentum venenum est (quod etiam alibi docuimus) infectionis & inquinamenti expers, & ut alia venena naturalia. sic etiam arsenicum hominem conficit, non verò inficit. 2. Ea est quantitas arsenici talia suffimenta ingredientis, quæ non nocere potest. 3. Arsenicum præcipuè nervosis partibus acredine suâ infestum est, quales non sunt pulmones, quæ, si ulcere obsideantur, acria remedia ferre possunt.

Suffitum arsenici ad pulmonis morbum celeberrimus Theodor. de Mayerne tract. 4. cap. 6. Prax. his verbis commendat. Majo- "re cum periculo, maxima tamen cum utilita- "te in certis pulmonũ morbis hauritur fumus "auripigmentii ex Dioscoridis præcepto. At "Principes utplurimum, dum Medici calum- "niam metuentes trepidant, & non nisi notis "atque vernaculis armis dimicare audent, vel

non

non curantur, vel occumbunt. Prudens admodùm dictum, & tali Medico, qualis Mayerne fuit, dignum, & quoipso ad insignienda per remedia venenosa curationes nihil melius proferri potuisset. Nam licet remedia ex venenorum classe desumpta ad morbos plurimos curandos sint efficacissima, & in certis casibus tutò usurpari possint, eam tamen opinionem de venenis ferè omnes conceperunt, ut si quis Medicus (non dicam cum Mayerne Principis) viri alicujus illustris morbum per talia remedia curare instituerer, atque is ex morbo moreretur, omnes dicerent, cum violentiâ remedii occubuisse, etiamsi vi morbi vitam amisisset. Quapropter Medicus, qui in periculosis casibus ægroti sui salutis certus esse non potest, in curationibus præsertim illustrium personarum solito timidior est, circumspectè agit, magis politicum quàm Medicum agit, calumnias metuit, nec suæ famæ honorẽ incertæ fortunæ aleæ committit, & â remediis paulò vehementioribus ceterùm generosis abstinet, ne, si æger curæ suæ commissus â morbo victus succumbat, infelicis eventus culpa ei, atque remediis ab eo exhibitis imputetur, quæ verò timiditas ægrotis funesta esse solet. Nam si Medicus violentiora remedia adhibere conatus fuisset, spes fuisset ægrotos, audaces fortunâ adjuvante, â talibus potuisse servari. Atque hoc in-

 felix

felix fatum arti nostræ incumbit, ut metus infamiæ, & calumniarum, quibus vel alii, vel ipsi Medici se invicem lacerare solent, sæpius eos ab optimo instituto absterreat.

In empiemate, si opus sit validâ exsiccatione ex præcepto ejusdem Mayerne usurpetur sequens suffitus, qui libr. 2. cap. 6. Prax. Medic. ita describtur. ℞. auripigment. cum cinerib. vitis, vel florib. sulphur. sublimat. ℥ß. tabac. Indic. optim. ʒ iij. tussilagin. rad. enul. calam. aromat. ã ℈iiij. ligni aloes, benzoe. gummi. guajac. natural. ã. ʒ iß. m. f. pulvis subtilis, & cum terebinthinâ Venetâ, vel balsamo Peruviano f. trochisci 12. pro suffitu, cujus fumus excipiatur cum infundibulo.

Idem Mayerne sequens tabacum compositum sæpius præscribit. ℞. fol. tussilag. siccat. ℥ß. fol. laur. salv. malabatr. ã. ʒij. rad. enul. ʒijß cortic. guajac. gumm. ejusd. ã. ʒjß. tabac. indic. ʒiijß. succin. oliban. ã. ℈vij. auripigment. flavissim. scintillant. ℥ß. Succinum, olibanum, cortices & gumi guajaci, auripigmentum pulverisentur, & cum ceteris crassiusculè incisis misceãtur, capiatur fumus, uti vulgaris tabaci, idque paulò ante assumptionem apozematum pectoralium bis terve in die.

Ad ozænam & narium ulcus cariosum desperatum, aliisque remediis indomabile & inexpugnabile â Rondeletio prax. libr. 1. cap. 65. summis laudibus effertur tale suffimentum

tum ℞. ladan. pur. hypocistid. mastich. myrrh. ā. ʒiij. stiracis rubr. calamith. cortic. thuris, sandarach. auripigm. ā. ʒij. impastentur cum terebinthinâ, & fiant trochisci, quorum unus & alter prunis injiciatur, fumusque inde ascendens per infundibulum manè & vesperi naribus excipiatur.

Balsamo ex crystallis seu oleo arsenici cum axungiâ viperæ, & oleo bufonum mixtis constante, scrophulas exulceratas, & non exulceratas materiâ attenuatâ, & per cutem eductâ sæpius inungendo glandulas litu quotidiano se discussisse refert Theod. Mayerne Prax. med. libr. 1. cap. 19. p. m. 144.

Lenimentum ex arsenico tumorem colli bronchocelem nominatum sine magno labore dissolvit. Mayerne de morb. extern. tract. cap. 8. Sed utere eo prudenter, & excitatas vesicas curato lenientibus, easque, quoties opus fuerit, renova, & sic alternatim pergito usque ad dissolutionem.

In ulceribus externis, scrophulis malignis, cancris exulceratis, si parva sint & recentia, Prævotius Medic. Pauper. p. m. 301. Frideric. Hoffmann. Thesaur. Pharmac. tit. Emplastr. p. m. 70. laudant pulverem eschaaroticum ex radic. scrophular. major. in Junio collect. in taleolas sect. in umbrâ exsiccat. arsenic. crystallin. ā ℥j. pulverisata misce, radiis solaribus ad initium octobris expone, in

ambullâ vitreâ bene clausâ serva. Ei, postquàm ulcus aliquoties aqua nymphææ abluтum & fotum est, insperge postridie pulverem munitis partibus sanioribus cerato quodam, ne ulterius, quàm par est, serpat pulvis, sponte excidet eschara intra 12. dies, curatio perficitur sarcoticis valentioribus.

Pulvis istiusmodi etiam in curatione cancri commendatur in epistol. medicis libr. 3. p. m. 421. à Scholtzio editis, qui paratur ex radic. serpentar. major. in mense Junio collectæ, & ita suspensæ, ut nihil attingat, quantũ vis, Arsenici splendentis parte tertia, fuliginis camini parùm, subtilissime pulverisatis & mixtis, in pixide ligneâ servatis. Pulvis ulceri inspersus per unam noctem & diem dolorem excitat molestum, pars affecta inde intumescit, sed quo tumidior evadet, eo melius est. Intra 8. dies eschara cadet, &c. reliqua vide loc. cit. Eo pulvere quendam Bregæ habentem collum ulceribus cavernosis & contumacibus exesum sanatum esse meminit Carolus Oslevius. Si ex primâ impositione pulveris in ulcere restet radix, pulveris usus est repetendus.

Realgar sublimatum Theodoricus, citante eum Petro Foresto libr. 4. observat. Chirurg. in scholiis observat. 6. affirmat cancrum, lupum, esthiomenon (hoc est sphacelum seu siderationem) noli me tangere, fistulam, & tales

tales omnes morbos pessimos primâ die occidit, & extirpat. Valescus refert de Medico & Chirurgo quodam, qui cancrum, ulcera tibiarum antiqua, succo solatri, vel plantaginis in eo posito pulvere Realgaris fovebat, pannumque in eo madefactum superponebat, & sanabantur multi cum adjutorio Dei, & Medici illius. Confer etiam illa remedia, quæ proponit Theodor. Mayerne loc. cit.

Ad scirrhum lienis emolliendum prisci Medici emplastra ex Arsenico, alumine scissili, calce vivâ, apponebant, ut etiam refert Zacutus Lusitanus Prax. admirab. libr. 2. observ. 50. Quantum autem remedia caustica in resolvendis humoribus crassis, pituitosis, viscus lienis infarcientibus, ejusque tumores & scirrhos generantibus, possint, ex iis quæ de curatione quartanæ per arsenicum diximus sciri potest.

In ulceribus pestilentialibus pastilli caustici Andronis Musæ, Passionis, qui ignis naturam referunt, commendantur, ut idem Forestus loc. cit. annotat.

Verum hæc & istius sortis remedia non conveniunt, nisi in ulceribus cancrosis, malignis, pestilentialibus, corporibus robustis, carne durâ præditis, & in moderatâ quantitate adhibita, vitatis semper partibus nervosis, quæ talia acria & corrosiva non ferre possunt, exinde enim esset timendum, quod nervo-

sum genus irritaretur, & convulsiones, vel alia prava symptomata excitarentur, quod puellæ cuidam, cujus D. Joh. Jacob Wepfferus tractat. de Cicut. aquat. histor. 13. p. m. 289. meminit, accidit. Pro hac enim cum in Pharmacopolio unguentum pediculorum, eine Lauß Salb / peteretur; minister Pharmacopœi deceptus affinitate vocabulorum germanicorum dispensavit unguentnm pro muribus necandis, eine Mauß Salb / quo cum caput puellæ fuisset inunctum, supervenere vigiliæ, totius corporis intumescentia, & animi deliquia, & tandem mors. Unde D. Joh. Dolæus Encyclop. Chirurg. libr. 5. cap. 8. p. m. 1168. 1. prudenter admonet, caustica sine periculo glandulis & carni applicari, non autem tendinibus, nervis, vasibus sanguiferis majoribus, proin ab iis cavendum.

Ob eandem causam, neque ulcera valdè dolorosa usum remediorum causticorum sufferunt, quia dolor insignis indicat partes nervosas â causâ morbificâ læsas & affectas esse, quarum dolor per caustica valdè augeretur.

Ad ulcera oris & gingivarum Felix Platerus Prax. med. tract. 3. de oris ulcer. curat, commendat aquam ex æris ærugin. ℨj. auripigment. ʒiß. subtilissimè tritis in vini ℥iiij. ad medietatem coctis, additis deinde aquæ rosar. & solan. ã. ℥iß. constantem. Aliam ex æris ærugin. auripigment. alumin. nitr. ã. ℈j. in

aq.

aq. rosar. plantagin. ā. ℥iiij. coctis paratam, cujus descriptio etiam loc. cit. extat. Usus est tali aquâ ulcera tangere, & eâ, si opus est, fricare, & post usum, ne quid ejus in faucibus hæreat, ea vino nigro abluere. Hac aquâ in ossium carie etiam usus est Experientissimus Joh. Jacob Wepfferus.

Eadem etiam ad ulcera pedum varicosa Platerus commendat in suis observationibus libr. 2. de superfic. corpor. dolor. p. m. 524.

Ad arthriticos dolores apud Theodor. Mayerne tractat. 3. de arthritid. p. m 260. invenio sequens remedium notatum. ℞. arsenic. alb. Mercur. præcipit. ā. q. s. cum aquâ fontanâ f. pasta loco affecto applicanda, vel potius in circumferentiâ. Cutem exulcerat absque doloris sensu, & dolores sedabit.

Non desunt Medici, qui ad scabiem unguenta arsenicum recipientia commendant, inter quos est Josephus Quercetanus. At meminit Amatus Lusitanus centur 2. curat. 34. cujusdam juvenis toto corpore scabiosi, qui cum se unguento arsenicali illevisset, mane in lecto mortuus fuit inventus. At nullum est dubium unguento eum intemperanter usum fuisse, quanquàm si scabies mitioribus remediis cedit, non opus sit ad tàm fortia remedia recurrere, quæ solùm in scabie malignâ locum habent, in quâ etiam alia caustica remedia, ut Mercurium præcipitatum applicare usitatum est. F 4 Unguen-

Unguentum inter alia etiam ex auripigmento constans, & contra tineam, scabiem, malum mortuum, & morphæam, sed in adultis, & affectu pertinacissimo usurpandum certissimum, annotatum fuit cap. de Purgant.

Ad lepras, psoras, leucas, alopeciasque excellenter facere, & mirabiliter convenire sequens scribit Galenus de composit. pharmac. secund. loc. libr. 5. cap. 2. p. m. 326. ℞. atrament. sutor. veratr. nigr. auripigment. ā. ℨj. ventrium cantharid. ℨij. tritis utitor cum oleo.

Contra Tineam mihi maximè arridet illud Stephan. Blancard. Chirurg. lib. 3. cap. 17. Rec. rad. hellebor. alb. tabac. auripigment. lithargyr. aur. calc. viv. alumin. gallar. fulig. camin. ā. ℥ß. ærugin. ℨij ol. tabac. ceræ. q. s. f. unguentum.

In lue venereâ peccare fermentum putredinale indicant præter multa alia etiam pessimæ, & cacoethicæ partium exulcerationes huic lui supervenientes, unde quis ab usu arsenici tàm internò, quàm externo certam contra hunc dirum morbum opem se impetraturum confidere posset, verùm quia in hac re tàm propriâ, quàm alienâ experientiâ destituor, ideò nihil certi hic pronunciare lubet, si verò daretur occasio aliquid in hoc morbo tentandi, illud citra ullum ægroti periculum fieri posse, atque successum spei responsurum esse, nullus dubitarem, quia arsenicalia, etiam

in

in aliis huic lui consimilibus morbis egregiè juvant.

Attamen in Beguini tyrocinio chymico, Rollfinccii Chym. in art. form. redact. libr. 5. sect. 4. cap. 7. ad usus diaphoreticos, contra morbos venereos, scabiem, lepram, & consimiles internè usurpandum laudatum invenio Arsenic. eleganter splendentis ℥j. pulverisata minutim in phiolâ parvâ nudo excipiantur igne. Mox intra horæ quadrantem pulcherrimi rubini instar lateribus vasis adhærebunt. Refrigerato vase colligantur, feces residuæ abjiciantur. Vires jam diximus. Usus gr. 6, ad 8. in brodio conservat. Zingiber. Hujus usum internum nonnulli suspectum habent, verùm metus est major periculo, modò remedii dosis moderetur.

In Joh. Jac. Weckeri Antidot. Spec. libr. 2. de suffim. pro lue venereâ compositio trochiscorum ad suffitum descripta extat, quæ arsenicum recipit, ut ℞. cortic. thuris ʒij. mastich. gum. heder. gumm. juniper. ladan. hypocist. ā. ℥ß. auripigm. rubr. vel citrin. ʒiij. cinnabar. ℥j. cum terebinthinâ excipiantur omnia. f. trochisci.

Ad nodos, tumores, & exostoses Venereas resolvendas & discutiendas arsenicum potens esse remedium asserit, Theod. Mayerne. tract. 4. de Lue Vener. cap. 6. sed ferociam remedii cicurandam esse. In

hunc finem comendat ol. arsenic. ʒj. buthyr. maj. ℥j m. Illinatur prudenter pars tumens priùs emollita idoneis præsidiis. Primùm rubescet locus, deinde excitabuntur pustulæ, quæ pus, quamdiu volueris, repetitâ sæpius unctione fundent. vel ℞. crystall. arsen. simplic. ʒß. vel eorundem (id est cum terrâ foliata tartari crystallisatorum) ʒj. buthyr. majal. ℥j. m. utere ut supra. Si medicamentum multum operetur, interponatur, duo vel tres dies.

Arsenicum licet nihil agere videatùr primò, attamen nunquàm irrito labore applicatur. Vitrum arsenici per Saturnum præparatum, acrimoniâ caret, & tamen valdè penetrat. Corallum Arsenici cum floribus sulphuris sublimatur, istius parte in fundo vasis restibili instar croci metallorum.

Ad visus debilitatem & incipientem suffusionem, guttam serenam ex defluxu humorum crasso & frigido collyrium Proteus dictum, quod auripigmentum recipit, describitur in Galen. de composit. medic. secund. loc. libr. 5. cap. 7. p. m. 315. quod tanti fecit, ut ei simile non reperiri dicat. Illud etiam commendat Mercurialis tom. 4. consil. 14 & Epiphanius Ferdinandi histor. med. 18. p. m. 62. Ubi hoc remedio maximâ cum cautelâ utendum esse monet, quia oculos mirum in modum inflammare solet, & ob id ovi albumen ritè conquassatum, & cum aqua rosacea

tém-

temperatum apponendum, & dicti collyrii exiguam quantitatem admovendam, nempe guttas duas vel tres, vel in petia infusum applicandum, idque parvo tempore sinendum. Verùm supradictum collyrium nequaquam timendum, nam esse Galeni remedium, & ex Aetio desumptum, qui fuerunt doctissimi viri, & maximi exploratores, & castigatum esse collyrium ab opio. Deinde illustrissimum Medicum Mercurialem hoc pluries feliciter fuisse expertum. Remedium â Galeno ita describitur. Rec. Cadmiæ, chalcitid. crud. ceruss. ā. ʒxxxx. piper. alb. ʒxxx. succ. cyrenaic. ʒxx. croc. ʒvj. opii, sagapen. lachrim. olei ā. ʒxij. auripigment. ʒxiij. myrrh. ʒxij. sanguin. seu gummi dracon. opopanac. ā. ʒxx. opobalsam. ʒxij. Apparato cum aquâ pluviali, & cùm eâ utitor. Hoc ipsum collyrium mutatis tamen quibusdam etiam describit Epiphanius Ferdinandus loc. cit.

Quia vermem equorum Germanis den Pferdewurm cum lue vereneâ comparavit Helmontius, atque ipse Hippocrates, Digby & alii veterinaria remedia proposuerunt, ego etiam communicabo remedium in curando Verme equorum præstantissimum, quo usus est Caupo & Veterinator quidam Noribergensis hujus artis callentissimus & notissimus. ℞. sulphur. citrin, arsenic. alb. ā. ʒß. Mercur. præcipit. ʒj. mellis despumat, q.s.f. lenimentum.

quo

quo illinantur ulcera equi, qui verò ita ligetur, ne ulcera inuncta lambere possit. Præcipiebat etiam Veterinator, ne equus in aquam ducatur, & eâ lavetur, ne libero aeri committatur, sed in stabulo retineatur. Bibat equus de decocto guajaci, sassafras. Non gramine, sed fœno pascatur. Pabulo ammisceatur pulvis ex radice carlinæ, angelicæ, ligno sassafras.

Emplastrum Magneticum Angeli Salæ, cujus supra mentionem fecimus, præter virtutes ad virus pestilentiale ad exteriora trahendum nobilissimas, etiam ad iliacam passionem ab incarceratione intestini in scrotum prolapsi in herniâ commendari, notavit Fridericus Hoffmannus Clavis Pharmac. "Schrœder. libr. 2. cap. 53. § 130. Gloriari so-"lent, verba ejus sunt, in lectionibus suis Ita-"li: Domini mei hoc notate bene, hoc meum "est inventum. Possum ego cum Deo & rei "veritate gloriari, hoc emplastrum contra ili-" acam passionem ex herniâ adhibendum, " â me prius casu quodam esse inventum, at-"que hoc est, cujus in tractatu meo de metho-"do medendi per exempla ab hoc restituta "mentionem feci, prout & hactenus etiam in "uteri dislocatione non sine salutari effectu "deprehendi.

Hujus effectus rationem ego esse credo, quia in dislocatione intestina & uterus ab injuriâ aeris frigidi summè læduntur, unde eorum

rum inflammatio, gangræna, & sæpius mors ipsa sequitur, quia verò causticum remedium unâ cum aliis calorificis remediis calorem nativum intestina & uterum deferentem revocat, & è contrario injuriam aeris frigidi arcet, eapropter ab emplastro imposito partes læsæ recreantur, & confortantur. Nec metuendum est inflammationem intestinorum & uteri â remediis calidissimis impositis auctum iri. Nam ut nihil in praxi usitatius accidit, quàm morbos & symptomata calidissima â causâ frigidâ oriri, ita iterum nihil communius est, quàm per calida remedia istiusmodi symptomata auferri, quæ â causâ frigidâ oriuntur. Nam in curatione morborum non morbos & symptomata, sed causam morbi præcipuè attendendam esse, alibi dixi.

Emplastrum ad carunculam penis absumendam Dan. Sennerti est tale ℞. virid. æris, auripigment. vitriol. alumin. roch. ā. ℥ij. omnia aceto acerrimo perfusa inter duos lapides porphyritides, quàm accuratissime ducantur, & in lævorem tenuissimum reddantur, Solique æstivo exponantur, rursus exsiccata aceto affuso ducenda, & lævigenda sunt, Solique exponenda sunt, quousque pulvis subtilissimus evadat, & sine acrimonia, quod octo dierum spacio peragetur. Postea accipe olei rosacei. ℥iiij. lithargyr. ℥ij. coquantur donec emplastri acquirant consistentiam, & tunc ab igne

igne depone, & adde prædicti pulveris ℥ij. & spatulâ misce, quo usque medicamentum duriusculum evadat, ita ut candelæ cereæ adhæreat, ne diffluat, etsi digitis tractetur. Candelæ parentur 10. ex cerâ, resinâ, & terebinthinâ, longitudinis 12. digitorum transversorum & crassitudine meatus urinarii. Candelæ extremitati dicti emplastri portionem inunge, in meatum urinarium mitte, & ita singulis diebus renovatur candela, eam per tres horas in meatu sinendo, & ita per 6. 8. dies, & usque dum caruncula absumpta est, continuando. Hoc emplastrum ad dictum affectum præstantissimum etiam expertus est Petrus Borellus, ut observ. 79. centur. 1. testatur.

Hoc emplastro etiam aliæ excrescentiæ carneæ, & tumores duri consumi possunt. Quidam pulverem arsenici cum oxicrati a-naticâ portione miscebat, clavis imponebat, eosque ita extrahebat, & pro arcano commendabat. D. Daniel Krugeri observ. 12. Ephimer. Natur. Curios. Decur. 2. anni 4. Alii emplastrum ex resina, cera, Tacamahaca, auripigmento paratum commendant. Joh. Dolæus libr. 5. cap. 13. Encycl. Chirurg.

Contra venenum arsenicale malitiosè, imprudenter, & intempestivè datum & applicatum valent omnia ea, quæ particulis suis oleosis, pinguibus, mucilaginosis, hujus veneni particulas acutas, acres, â quibus vis ejus

caustica

caustica & corrosiva dependet, obtundere & obliterare valent.

Talia sunt lac bubulum recens emulctum, & inde confectum buthyrum recens, emulsiones ex seminibus & aquis refrigerantibus confectæ, oleum olivarum, vel per se, vel cum albumine ovi conquassatum; mucilago seminis cytoniorum cum aquâ rosarum extracta, syrupus de althæa, vel potius succus ejus, julepus rosarum, violarum, earumque aquæ, aqua communis, succus ex rapis dulcibus expressus. Crystallus montanus specificus est. Vel ℞. aquæ rosar. cum albumine ovi conquass. ℥ij. syrup. è succ. violar. ʒvj. bol. armen, vel crystall. montan. ℈j. sacchar. Saturn. gr. j. m. pro unâ vice. Ardorem & inflammationem ab arsenico inductum mitigat. De crystalli fossilis, pinguium, & oleosorum usu contra arsenicum, legi etiam potest modò citata observatio D. D. Danielis Grugeri, & scholium in eandem Exc. D. D. Lucæ Schrœkii.

Nec desint clysteres ex humectantibus, emollientibus, oleosis & pinguibus parati. Ut ℞. cremor. hordei non salit. ℥vj. ol. lini express. buthyr. recent. ā. ℥ij. Misce f. clyster. qui sæpius repetatur. Alius potest parari ex lactis vaccini recentis & oleo amygdalarum dulcium æquali portione.

Ad confortandum, & dolores sopiendos theri-

theriaca Andromachi recens, Diascordium & alia opiata utilia sunt.

Nonnulli Medici venenum arsenicale per diaphoretica expellere conantur, non secus, ac virus malignum venereum, leprosum, pestilentiale per sudorifera exterminari solet, qui vero labor hîc mihi frustraneus esse videtur. Nam longè alia est curandorum morborum ratio in quibus venenum ipsam massam sanguineam inquinavit, quod tantùm de veneno morboso, pestilentiali, leproso, &c. dici potest, in quibus diaphoreticorum remediorum maximus est usus, alia est, ubi venenùm naturale, causticum, corrosivum, qualia sunt arsenicum, Mercurius sublimatus, præcipitatus, purgantia fortia, & alia ipsas partes nervosas, solidas corporis, ut ventriculum, intestina, vesicam, inflammant, corrodunt, vulnerant. Sic imprudenter quis faceret, si quis vesicam â cantharidibus sumptis exulceratam per diaphoretica sanare studeret, & in istiusmodi casu magis prosunt ea, quæ vim veneni ipsas partes corporis obsidentis refrænant & coercent, & sanguinem edulcorant, quod diaphoretica non præstare possunt.





Caput III.

De venenis Mercurialibus, ut Sublimato, Præcipitato, Turbetho minerali, cinnabari, buthyro antimonii, Mercurio vitæ, &c.

MErcurium crudum venenoſum eſſe olim fuit creditum, quæ verò opinio hodie apud Medicos vix aſſenſum inveniet. Sciunt enim omnes ejus remedii aliquot uncias innoxiè intra corpus aſſumi, & in herniosis affectibus, iliacâ & colicâ paſſione non ſemel accidiſſe ſcio, quod magna Mercurii crudi quantitas per aliquot dies ſine notabili moleſtiâ in corpore delituerit. Unde Mercurius ad legitimandum ſuum uſum in medicinâ non operâ & defenſione noſtra, uti reliqua venena, opus habet, niſi quis ad aſſerendam Mercurii venenoſitatem ſalivationes ab ejus inunctione excitatas, non ſemper periculo carere diceret, quod verò licet non negari poſſit, non tamen ad probandam venenoſitatem ejus ſufficit, quia nulla ſunt remedia, quæ non quandoque periculum creare poſſint, quæ tamen non ideò venena ſunt. Ceterùm cum, iis qui Mercurium quoad intrinſecam ſuam naturam merum ignem eſſe ſtatuunt, lubenter facimus. Confer D. Ludov.

dov. Hannemanni obſervat. CLVIII.) Ephimerid. Natur Curioſ. Decur. 2. Anni 8.

Nec de cinnabari remedio mercuriali, ſive ſit nativa, ſive factitia ſit, in catalogum remediorum aſſerendo multum laborabimus, licet & ea veteribus Medicis fuerit exoſa, & ſuſpecta, quod verò judicium ſiniſtrum ex eâ opinione profectum eſſe credo, quâ Mercurius veteribus Medicis venenoſus fuit creditus. Hodie verò nemo de ſecuritate remedii dubitat, atque experimur quotidiè cinnabarim etiam infantibus in graviſſimis affectibus tutò, & cum ſucceſſu ab omnibus ferè Medicis exhiberi. Gaudet enim ea virtute humores viſcoſos, craſſos, obſtructiones generantes, incidendi, attenuandi, quod etiam omnia mercurialia præſtant, quippe quæ ſunt tenuium partium, quibus ſe intra corpora promptè inſinuare poſſunt. Et quid eſt in cinnabari tantoperè metuendum? Nam â crudo Mercurio, uti jam diximus, nullum eſt periculum, atque cinnabaris nihil aliud eſt, quàm argentum vivum puriore ſulphure ligatum, & fixatum, & ſal acidum, quod aliâs Mercurio vivo vim cauſticam & corroſivam impertit, eumque formidabilem reddit, hîc â ſulphure domitum eſt.

Major labor erit circa probandam Mercurii ſublimati & præcipitati virtutem medicam, quæ venena & quidem vehementiſſima, eſſe

nemo

nemo negarè poteſt. Et imprimis Mercurius Sublimatus ſumme cauſticus & corroſivus eſt, qui etiam in parvâ quantitate intus ſumptus, & extra applicatus, inſtar arſenici ventriculum, inteſtina & alias partes corrodit, inflammat, fibrillas eorum nervoſas vellicat, irritat, vomitus, alvi fluxus dyſentericos, tormina, ſævos cruciatus, & convulſiones excitat, & ipſam mortem affert. Illum ipſum arſenicum ſævitiâ ſuperare plerique, & verè aſſerunt. Mercurius præcipitatus eſt quidem ſublimato mitior, ſed & ille noxioſiſſimas habet qualitates.

Ambo non ſunt venena. uti pleraque alia â naturâ ita producta, ſed arte chymica parata, & quorum productionem etiam tyrones in medicinâ non ignorant. Hoc tantùm hâc vice dixiſſe ſufficiat, venenatam Mercurii vim, quæ in virtute cauſtica & corroſivâ conſiſtit, dependere â ſale acido Mercurio in præparatione combinato. Inſunt enim Mercurio particulæ acres, igneæ, penetrabiles, quæ ſi particulis acidis itidem acribus, pungentibus & penetrabilibus conjungantur, non mirum ex duobus ſimul vim cauſticam & corroſivam oriri.

Hæc tamen venenoſitas non obſtitit, quominus tàm ſublimatus, quàm præcipitatus â multis Medicis in remediorum numerum reciperetur, magis tamen præcipitatus (quia

ſublimatus nimis violentus eſt) multorum morborum ferè incurabilium domitor eſt, quia in eo tam Mercurius, quàm acidum ſal ſuas conjungunt vires, ad diſſolvendam, & expurgandum pituitam craſſam, viſcidam, miasmate putredinali inquinatam, & maximorum morborum matrem.

Unde Theophilus Bonnettus Mercur. " Compital. libr. 19. Sylloge de Purgat. §. 50. " Ex chymicis, quæ pituitam purgant, com-"mendo ante omnia ex Mercurio tàm ſubli-"matione, quàm præcipitatione remedia pa-"rata, quorum alia majore, alia minore doſi "ſoleant exhiberi. Nam ex ſublimatis corro-"ſivus dictus rarius ad granum unum, dul-"cis verò ad grana 30. poteſt dari. Præcipitata "verò, quo magis ſunt acido ſpiritu, & igne "longo & patente fixata, eo majore quantita-"tè aſſumi poſſunt, quo verò minus ſunt fixa-"ta, eo minore.

Ab eodem Theophilo Bonnetto Mercur. Compitalit. libr. 19. ſylloge de Salivant. §. 10. ex Guerner. Rollfincii method. general. p. 106. ſequentia de medicamentorum mercuri-"alium egregio uſu adducuntur. Curatio per "ſalivationem peccare videtur in leges a Ga-"leno & Aſclepiade promulgatas. Nam nec "eſt cita, nec tuta, nec jucunda. Non cita, "quia ultra 20. dies vagatur. Non tuta rati-"one materiæ & effectus, periculoſum eſt re-

medi-

medium Mercurius, qui venenatus, ut & " medicamenta ex eo parata. Præcipitatus " enim ruber est corrosivus, symptomata se- " quuntur gravia, in ore & faucib9 salivationes, in palato erosiones, cor anxietates sentit," tanta nonnunquam profluvii alvini vehe- " mentia, ut cruenta excernantur &c. Re-" spondetur, deficere temporis brevitatem," conceditur, sed festinatio nimia periculosa " esse solet. Non celeritati magis attenden-" dum, quàm ut quomodo oportet perficiatur," nec defectuosè: Ασφάλεια duplex constitui" potest, una ἁπλῶσ, altera κατα τι talis, in cu- " ratione luis venereæ & aliorum affectuum " non est semper respicienda securitas absolu-" luta, sed interdum cum periculo conjuncta," qui securitati nimis indulget, deficit in gene-" rositate, difficillimum autem est invenire re-" medium generosum, quod nihil lædat, & " maxime prosit. Periculosum esse remedi-" um Mercurium conceditur aliquo modo," non simpliciter: assumptum crudum in sub-" stantia innoxiè testantur plurimi, periculosa" esse omnia ex eo parata, si debita accedat", præparatio, negatur. Symptomata sequan-", tur gravissima. Quid inde? Lues venerea", mitioribus, ut guajaco, eradicari nequit, fau-", ces, palatum, gingivæ, ventriculus, intesti-", na patiuntur, ne totum pereat corpus, & ut" aliæ partes, cujuscunque sint generis, a sarci-"

"na liberentur. Plures morbi fiunt incurabi-
"les ex accidente 1. Errore ægrotorum gene-
"rosa remedia non admittentium. 2. Medi-
"corum præ timiditate & imperitia generosa
"remedia non præscribentium. Jucunditas
"nonnunquam est postponenda.

Hæc vera & utilis Rollfincii doctrina in omnium ex venenis paratorum remediorum applicatione locum habet, quæ omnia peritum & cordatum Medicum si adepta fuerint, ut medicamenta generosa insigniter juvant, sin verò imprudentem & imperitum, ut venena, ægrotum insigniter lædunt, & planè occidunt.

Mercurium sublimatum in lue venerea in corpus assumi, memorat Stephanus Blancardus tract. de lue vener.

De Mercurio suo præcipitato (calcinato) Joh. Schrœderus Pharmacop. libr. 3. cap. 15. §. 2. dicit, quod ejus grana 5. vel 6. sexies vel septies exhibita luem veneream penitus eradicet, quod sudores, vomitum, ut plurimum violentum moveat, febres omnes tollat, lumbricos eliminet.

Eadem etiam de Hercule Bovii Medici Itali loc. cit. referuntur.

Fidissimo experimento compertum se habere testatur Zacutus de Medic. princip. libr. 1. p. m. 130. 2. robustos, & viribus constantes, unguentis mercurialibus incurabiles

buc-

buccellam ex Præcipitati gr. 5. rhodo sacchararo & speciebus aromaticis sanatos fuisse. Idem Prax. admirabil. libr. 2. observ. 133. in contumaci lue venereâ, ceteris non conferentibus, sæpissimè felici cum successu pilulas ex pulvere Præcipitat. Hydrarg. extinct. ā. ʒß. theriac. ʒij. scammon. ℈ß. specier. diamargarit. aromat. rosat. margarit. præpar. ā. ℈j. mosch. gr. 10. ambr. gryſ. gr. 5. zibeth. gr. iiij. pilul. 30. formatas, inauratas, & per 30. dies singulis diebus pilulam unam propinavit, quæ pilulæ tenaces humores vomitu, & secessu purgant.

Quidam turpethi mineralis primo die grana 4 secundo gr. 5. tertio gr. 6. in formâ pilulari ad oris intumescentiam exhibent, uti Joseph. Schmidt Specul. Chirurg. p m. 484.

Mercurii præcipitati rubri cum spiritu vini & spiritu nitri concentrato sæpius abstracti granis iij. primo die; deinde dosin augendo ad levem salivationem ciendam, dosin deinde iterum imminuendo, & ita per 14. dies continuando, quædam mulier guttur habens exulceratum â multis derelicta curatur juxta observationem 58. D. Hermanni Nicolai Grimmii. Ephimerid. Natur. Curioſ. Decur. 2. Anni 4.

Quædam mulier pedum dolore lancinante, tensivo, diuturno, & aliis remediis inexpugnabili, sine tamen tumore correpta à D. D. Andrea Löw, uti ejus observ. 156. Decur.

 3. annor.

3. annor. 1697. & 1698. Ephimer. Nat. Curiosſ. refert, curatur per præcipitatum affuſione ſpiritus vini ad mentem Sorbait Prax. med. p. 256. correctum, per decem dies in conſervâ roſarum exhibitum, incipiendo à granis tribus, & omni die grano uno doſin augendo. Tertiâ die ſalivatio incepit. Die 15. datum fuit laxativum, & pro ſiſtendâ ulteriore ſalivatione theriaca cum foliis auri. Item gargarisma ex aſtringentibus. Pro potu decoctum ligni.

Petrus Foreſtus libr. 32. obſervat. 19. in ſcholio p. m. 216. ſunt, ſcribit, qui pilulas Mercuriales ex Præcipitato conſtantes extollunt, ſpeciebus diamargarit. frigid. aromat. formando cum theriacâ pilulas, quarum unam ciceris magnitudine ſemel, aut bis in heptomáte exhibent Crudeliter purgant, & niſi cáveris, interimunt.

Crollius in Baſilicâ Chymicâ, & ex eo D. D Joh. Dolæus Encyclop. Medic. libr. 3. cap. 19. p. m. 570. 2. ſpecificum purgans hydropicum ex Mercurio præcipitato cum extracto hellebori nigri, & extracto colocynthidis parare docent.

Notum eſt arcanum Corallinum ejusdem Crollii, quod præcipue per inferiora purgat, magnumque eſt ſecretum in hydrope, morbo gallico, podagrâ, ſcabie, ulceribus, cancro, â Joh. Forti, tom. 1. centur. 3. conſultat. med.

75.

75. commendatum. Idem Mercurium præcipitatum per oleum ſulphuris paratum ad gr. 3. in conſervâ roſarum, Paracelſi invento, per tres dies interpolatos tamen ſumendum præcipit. Seroſos enim humores potiſſimum educit, & nos, inquit, paratum habemus ad extremos hujusmodi morbos.

Oleum mercuriale ex ſublimato ad curandam luem veneream, podagram, hydropem, lepram & ſimiles morbos, cujus doſis gr. j. in vino, quomodo præparandum ſit monſtrat Kinelm Digby expert. remed. part. 2. p. m. 199. Item quomodo præcipitatum album per ſedes purgans idem docet loc. cit. p. m. 410 Aliud ex Mercurio & antimonio p. m. 11. Quantas vires in curandâ colicâ, febre quartanâ, caduco, ulceribus malignis, cancroſis, ſanguine depurando &c. Præcipitatus Solaris obtineat, de hoc Chymicorum libri legi poſſunt.

Mercurium præcipitatum, Herculem Bovii dictum contra hydropem laudat Thom. Willis, quia fibras ventriculi inſigniter vellicat.

Joh. Dolæus loc. cit. turpethi mineral. gr. ij. in hydrope exhibenda ſuadet. Paratur autẽ Turpethum ex Mercurio ſublimato in aquâ calidâ ſoluto, & ſale vel oleo tartari præcipitato, eſtque remedium contra luem veneream, & alios morbos fortiſſimum & validiſſimum. Si caſus aliqui tanquàm reſervati, vel

renitentissimi (egregie disserit Dan. Ludovici Dissertat. 1. de purgant. mineral. p. m. " 225. pharmac. modern.) durarum natura-"rum obtigerint, qui mercuriale vomitorium "revera, & in specie (citra fictam interdum in " quartanariis, psoricis &c. quibusdam ne-"cessitatem) omninò requirant, nec longè " sedatioribus, mitioribusque antimoniatis, "vel absque ullis evacuantibus solis inverten-" tibus atque resolventibus specificis etiam " mercurialibus, item ipsis aliquando anody-" nis &c res transigi posse videtur, cur ad evi-"tandam laborum multiplicationem parabi-" lis turpith (sublimato in calidâ aquâ soluto, "per oleum tartari præcipitato, & post edul-"corationem lento calore ad internos usus a-"liquandiu digesto) dosin, eoque duro no-"do durum cuneum reformidemus?

Mercurium in aquâ forti solutum, aquâ salsâ præcipitatum, & multiplici ablutione cum aquâ calente dulcoratum, Mannam Mercurii dictum, contra lumbricos conferre docet Mayerne Prax. libr. 3. cap. 4.

Idem Mayerne tractat, de febrib. cap. 4. p. m. 60. 61. tanquàm excellens febrifugum commendat Bismuthi partem 1. Mercurii sublimati partes ij. tere & destilla per retortam. Exibit pinguedo dura, crassa, dissolve in cellâ intra biduum, præcipita in pulverem albissimum, & cum aquâ edulcora. dosis gr. j.

gr. j. ad ʒ. unâ & alterâ horâ ante paroxismum pro purgatione. Bis sumptum accessionem utplurimum tollit.

Validissimè febres omnes intermittentes, quod ipse expertus sum, tollit sequens. ℞. theriac. Andromach. ℈ij. flor. salis armoniac. ℈j. ⊖ absinth. card. benedict. ā gr. iiij. fl. sulph. gr. xij. Mercurii præcipitat gr. iiij misce exactè, detur pro duabus vicibus, & altera tertio die.

Pulvis antifebrilis Dom. Pots, quem etiam describit Mayerne tract. de febrib. cap. 4. p. m. 72. itidem recipit Mercurium sublimatum.

In scrophulis internè sumatur præcipitatum album ex Mercurio cinnabaris per aquam fortem dissoluto, per muriam præcipitato, & optimè loto, productum. Idem Mayerne. libr. 1. cap. 19. Prax.

Per vomitorium ex præcipitato solari ante novilunium, & plenilunium iterandum curatur puella epileptica 14. annorum â Thomâ Willisio, uti tract. de morb. convuls. cap. 3. perhibet.

Pulvere Vigonis, qui ex Mercurio & aquâ forti conficitur, plurimi epilepsiâ fuerunt sanati. Matthiol. libr. de curand. morb. gallic. Quia, uti Zacutus Lusitanus de medic. Princip. libr. 1. quest. 41. p. m. 130. 2. Mercurius tenacem pituitam, & atram bilem vomitu & alvi

alvi dejectione educit. Nec obſtat, quod in Mercurio ſublimato volatili nequaquam ſit qualitas antepileptica, ſed potius cerebro & nervis inimica, quod urget D. D. Crüger. obſerv. 41. Ephim. Natur. Curioſ. Decur. ſecund. Anni 6. cui objectioni reſpondimus Capit. de helleboro albo.

Præcipitatus bezoarticus compoſitus Solaris, antimonialis, Mercurialis, verum Lazari Riverii febrifugum quartanarium deſcribitur â Guernero Rollfinccio chym. in art. form. redact. libr. 5. ſect. 6 cap. 12. in hunc modum ℞. Solis ℥ß. in aq. regiâ ſolut. Vitr. antimon. in aqua Regis ſolut. ℥ß. Mercurii vivi in aqua regia ſolut. ℥iij. ſolutiones conjunctæ duodecies per alembicum exſtillentur, iterata cohobatione. Pulveri, in fundo relicto affunde ſpiritum vini rectificatum, abſtrahe ſexies a pulvere, ut intimius figatur, calcinetur ad ignitionem ferè in crucibulo Haſſiaco, igne rotæ, vel ſub tegula fornicata. Videtur hæc deſcriptio optimè competere ænigmati συνεχασμένως adumbratim propoſito in append. centur. 3. obſervationum Riverianarum.

Proceſſus hic eſt antiquæ inventionis, doſis gr. vj. cum ſcamon. gr. xij. a Riverio fuit data.

Præcipitatum ſolare, nonnullis aurum vitæ, per ſimilem proceſſum elaboratum etiam magno elogio, & Panacææ titulo ornat D. D. Martin Pruggmayr obſerv. 94. Decur.

Decur. 3. Ephimer. Nat. Curiof. annor. 1697. 1698. illudque in apoplexia, epilepſia arthritide, hydropiſi, colica, morbo gallico, febribus intermittentibus curandis, oppugnando humore melancholico præſtantiſſimum, verùm etiam ſine auro paratum non minus efficax eſſe affirmat. Parem efficaciam in tollendis catarrhis ſuffocativis ei attribuit.

Præcipitato ex vitro antimonii & Mercurio absque auri additamento plus 80. hominum peſte correptorum liberatos fuiſſe mihi quidam revelavit. Joh. Michael.

Carteſiani, ut de iis teſtatur D. Dolæus Encyclop. chirurg. libr. 6. cap. 3. p. m. 1394. 1. in curatione gangrænæ interdum accedunt ad ipſum ſublimatum, præcipitatum, quem cum electuario Diaſcordii & theriaca in forma boli aſſumendum præbent.

Ex antimonii & ſublimati æquali portione deſtillatis cõficitur buthyrum antimonii Hoc remediũ autem, licet ſolius antimonialis proſapiæ eſſe multi credant, interque eos Guernerus. Rollfincius tract Chym. in art. form. redact. libr. Sect. 6. cap. 13. Fridericus Hoffmannus, qui illud buthyrum nihil aliud, quàm tenerrimam ſtibii partem in unctuoſum liquamen reſolutam eſſe aſſerit, ei tamen etiam non parum mercurialis virtutis accedere probat, 1. corroſivitas, quæ in buthyro antimonii non eſſet tanta, ſi non aliquid virtutis a Mercurio

curio ſublimato ei impertur. 2. buthyrum antimonii, nec non Mercurius vitæ, qui ex buthyro antimonii confici ſolet, internè aſſumpta in febribus intermittentibus, lue venerea, ſcabie maligna curanda ſpecificas obtinent virtutes, quod non haberet remedium antimoniale ſibi ſoli relictum. 3. Violentum admodum draſticum eſt Mercurius vitæ, & quali ipſe Fridericus Hoffmannus, qui emetica antimonialia non formidat, nunquam uſus fuit, nec ſe uſurum eſſe, dum vixerit, aſſerit Clav. Schrœder. Pharm. libr. 3. cap. 15. §. 63. Verùm iſtiusmodi validum mercuriale emeticum in morbis nonnullis contumacioribus curandis requiri, modò ex Dan. Ludovici docui. Hoc tamen Rollfinccio & Hoffmanno concedere cogimur, parùm admodum corporis mercurialis buthyro antimonii conjungi, atque ei magis Mercurialem qualitatem, quàm ipſam Mercurii ſubſtantiam impertiri, quia is ferè omnis in cinnabari antimonii latitat, & in fundo recipientis poſt deſtillationem relinquitur. Ceterùm buthyrum antimonii venenum eſſe, vis ejus cauſtica & corroſiva, quam in morbis externis applicatum exſerit, ſatis demonſtrat.

Nihilominus tamen illud etiam internè in quibusdam morbis & debita quantitate citra periculum exhiberi poſſe, atque in febribus imprimis intermittentibus conveniens

purgans

purgans esse, cum D. Michael Ettmullero cap. de febrib. p. m. 228. 1. credo. Idem author loc. cit. etiam refert quendam quartanarium buthyri antimonii guttas duas sumpsisse, atque inde citra ullum incommodum purgatum fuisse, cum ejus guttas quinque iterum sumpsisset, atque ex eo purgatus fuisset, & sudasset, febris omnino desiit. De hujus historiæ fide eo minus ambigo, quia omnia caustica remedia in debellandis febribus intermittentibus sunt maximarum virium.

Uti autem ex his allatis utilitas mercurialium præparatorum in multis morbis curandis satis elucet, ita non sunt aures præbendæ iis, qui cum Palmario libr de morb. contagios. uti ex eo Theophilus Bonnettus Mercur. compitalit. libr. 19 Sylloge de Purgant. §. 59. in usum Præcipitati invehuntur his verbis: "Mercurium, inquit, citra delectum exhibent "circumforanei ad dolores diuturnos luis ve"nereæ, hydropem, quartanam, melancholi"am hypochondriacam, & ejus generis affe"ctus frigidos, idque 4. vel 6. granorum pon"dere ex ovi luteo, theriaca & mitridatio, ac "statim ut assumpsit quis, ex universo corpo"ris ambitu omnis generis humores sursum "& deorsum prorumpunt, sæpè tanto, tamque "violento impetu, præsertim si languidum "corpus fuerit, ut exhaustis spiritibus, fractis"que viribus vel repenter moriatur, vel quo die

"die sumpserit, sine viribus pulsu, voce, mor-
"tuo persimilis jaceat. Os ejus contagione
"inflammatur, ac gingivæ ulcera contrahunt
"putrida, & valde fætentia, faucesque pleris-
„que ita intumescunt, ut ad plures dies nihil
„prorsus deglutire possit, quin & nonnullis
„ mens ita â sede alienatur, ut exortâ febre
„phrenetici tandem pereant. Itaque â catar-
„cticorum censu tanquam præsentissimum
„venenum rejiciatur, & publicis legibus ex-
„ulet.

Nam cum Andr. Matthiol. comment. in Dioscor. libr. 5. cap. 61. respondemus, nos mirari eos hactenus non observasse rara admodum, & fortassis nulla reperiri medicamenta, alvum electivè exsolventia, tàm priscis, quàm recentioribus Medicis usurpata, quæ venenosam vim non sortiantur. Elleborum enim utrumque, Tithymalorum omne genus Pityusa, Elaterium, colocynthis, Thapsia, Bryonia, Scammonium, Thymelæa, Chamelæa, Cyclamenus, atque inter fossilia Armenius, atque cæruleus lapis, quin etiam æris squama, quâ passim usi sunt antiqui ad cutem subeuntes aquas, venenosæ vis haud sunt expertia. Atqui quid dicent de sandarachâ atrocissimo veneno? An non eandem propinat cum melle, aut in catapotiis Dioscorides asthmaticis, & aliis in discrimine laborantibus? Nonne & Avicenna arsenicum quoque propinat? Hoc nobis

nobis dixisse sat est; ut illorum negligentiam, ne dicam inscitiam, palàm faciamus, qui suis opinionibus (profectò ridendis) inhærentes, non vident, dum Mercurium corrosivum (stibium uti Matthiolus) vituperant, interim tamen â præscriptis medicamentis non abstinent, immo iis quotidie utuntur, quorum nonnulla tantùm sumentibus nocent, quantùm Mercurius corrosivus. Præterea propter noxam ægrotis â circumforaneis, & Empiricis remediis abutentibus inflictam, non statim eorum usus iis prudenter & tempestivè utentibus est interdicendus, atque ipse Bonetus loc. cit. Sylloge de Salivant. §. 1. pro ciendâ salivatione usum internum Mercurii præcipitati rubri per lavationem cum aquâ rosarum â nimiâ suâ acrimoniâ liberati, suadet. Joh. Langius libr. 1. Epistol. 65. eos temeritatis arguit, qui nonnullis pulverem ex Mercurio sublimato unâ cum aliis antidotis & catapotiis ad pestem, & dolores coxendicis offerunt, & remedium propter vim causticam virulentum esse judicat. Quod monitum libr. 3. cap. 6. repetit, & dicit, licet extremis mor-„ bis extrema remedia sint opponenda, se ta-„ men in peste ad Euphorbii, Præcipitati, & antimonii usum raro devenire. Ex quibus Langii verbis colligitur, eum quidem dictorum remediorum usum periculosum censere, non tamen planè rejicere, & quandoque ta-

libus remediis usum fuisse. Verùm ut Langio concedam, Præcipitati usum in peste non semper tutum esse, illud tamen non propter vim ejus causticam, uti Langius credit, accidit, hæc enim in peste non est venenata, sed alexipharmaca, verùm propter violentiam remedii purgantis, quod vires requirit, quæ verò in peste sunt exiguæ, ut ita non vis caustica, sed virium defectus, usum præcipitati quandoque excludat. Cur verò antimonialia præparata inter violenta, & venenosæ qualitatas non expertia remedia censeri debeant, rationem nullam video, de Euphorbio suo loco dicetur.

Verùm non minus ratio, quàm experientia Mercurialia in dictis morbis saluberrima esse dictitat. Nam 1. virtute suâ causticâ, corrosivâ fermentum quodvis putredinale, non secus ac alter ignis, quem res â corruptione præservare, vel matresfamilias, nedum Medici sciunt, consumunt, & destruunt, â quo fermento luem veneream, lepram, scabiem malignam, vermes, ulcera maligna, tineam&c. immò ipsam pestem produci, præter causas procatarcticas hos morbos generantes, præter alia remedia hos morbos curantia, ipsa symtomata eorum ad oculum demonstrant, qualia sunt partium corporis inflammationes, corruptiones, exulcerationes, capillorum profluvia, ossium caries, & contagi-

um

um omnibus commune. Nam extra putredinem non eſt contagium. Quia 2. eâdem virtute cruditatem humorum corrigunt, quam in febribus intermittentibus, & imprimis quartanis adeſſe, & ad ſui correctionem remedia calidiſſima, immo cauſtica expoſcere, capite priore de arſenico diximus. Quid enim hanc in febribus quartanis peccantem cruditatem melius emendabit, quàm id, quod ignis virtutem obtinet, ejusque naturam æmulatur? Quia 3. Mercurius eſt tenuium partium, atque vim habet pituitam craſſam, ſeu lympham coagulatam, uti recentiores loqui amant, incidendi, attenuandi, & ſerum fluxile reddendi, â quâ lymphæ abundantiâ, & craſſitie ipſe ſanguis incraſſatur, ſpiritus ejus vitales obtenebrantur, ex quo obſtructiones, tumores & ſcirrhi, præcipue lienis, & affectus melancholici exſurgunt, &, ſi ſerum, urgente ejus nimiâ copiâ, extra vaſa in abdomen & pedes ſe effundat, hydrops generatur, quibus omnibus affectibus Mercurius medelam affert, cujus incidendi & attenuandi virtus â ſale acido ei in præparatione conjuncto, augetur, quia id acidum itidem præſtantiſſimum eſt humorum coagulatorum reſolutivum.

Quia 4. Mercurius ſublimatus & præcipitatus cauſticâ ſuâ virtute morbis externis, fermento eorum putredinali reſiſtendo, humores craſſos, viſcidos incidendo, reſolven-

do potentissime medentur, credendum est, eos etiam internè exhibitos parem efficaciam obtinere.

Multi Medici nostrâ ætate prædictos morbos omnes oriri ab acido sanguinem incrassante, coagulante, partesque solidas corrodente, & corrumpente, atque in curatione horum Mercurium intus exhibitum, & extrà applicatum, illud acidum morbosum, peccans absorbere statuunt. Verùm hi Medici considerare debent. 1, acidum putredinis, corruptionis, & contagii, remedium, non causam esse. 2 acidum, cum sit tenuium partium, sanguinem crassum resolvere, attenuare, fluxilem reddere, quod praxis quotidiana docet, non verò eum incrassare, coagulare; 3. Non solum simplicem, & acido orbatum Mercurium, sed etiam sali acido conjunctum, & quasi eo saturatum, hisce morbis mederi, quod non fieret, si hi morbi essent ab acido, tunc enim Mercurius jam salis acidi satur, non posset absorbere, & quasi imbibere acidum morbosum, & acidum morbi ab acido Mercurii augeretur. Cum è contrario, Mercurii vim resolutoriam per additionem acidi intendi, & fortius, quàm est in simplice Mercurio, reddi videamus, tàm acido, quàm ipso Mercurio ad unum finem tendentibus.

Quamvis autem Mercurii sublimati & præcipitati usus sæpius admirabilis sit, is tamen

men

men summa cum circumspectione & prudentiâ est administrandus, idque eo magis, quia Mercurius corrosivus violentiâ ipsum arsenicum superat. Et primùm quàm maximè cavendum est, ne in eorum dosi erretur, quæ in sublimati exhibitione ultra granum unum, vel alterum, in Præcipitati ultra quinque grana non ascendere debet. Quia verò sæpius fit, ut per varias medicamentorum præparationes eorum corrosivitas debilitetur, imminuatur, & quandoque ferè tollatur, ideo dosis præscripta esset nimis parca.

Corrigitur autem Præcipitatus ut plurimum ablutione cum aquâ communi, & rosaceâ, ita enim credunt, suâ virulentâ virtute eum spoliari. Verùm nonnunquam his lotionibus Mercurius Præcipitatus ita debilitatur, ut planè inefficax reddatur, ceu quòque Guernerus Rollfinccius libr. 5. sect. 6. cap. 2. annotavit. Nam quia virtus Mercurii corrosiva â particulis salinis solventis menstrui cum ipsis particulis Mercurii combinatis provenit, atque per has ablutiones crebras magna pars salis acidi â Mercurio iterum separatur, exinde fit, ut etiam Mercurius suam efficaciam amittat, atque hæc non Mercurii præparatio, sed nimia vexatio magis esse videtur. Nam ut vim causticam Mercurii per correctionem quodammodo infringendam esse non planè abnuam, non tamen eam, uti

etiam de arsenico diximus, prorsus aufferendam esse censeo, quia virtus caustica ea ipsa est, quæ morborum medicatrix existit, & in præparatione Mercurii virtutis medicæ tantum, quantum causticæ decedit.

Alia est correctio Mercurii corrosivi & sublimati, quæ per sublimationem ejus cum Mercurio crudo perficitur, & Mercurius dulcis, aliis Calomelanos appellatur. In hac operatione Mercurium sublimatum non secus ac tactum colurnâ virgâ serpentem (ut verbis Rollfinccii in Chym. in art. form. redact. libr. 5. sect. 5. utar.) vel scorpionem aconito affici, per iteratam sublimationem virus suum evomere, & mitescere scribunt Medici. Sed & hæc Mercurii præparatio non uniformiter â Medicis instituitur. Quidam enim Mercurium sublimatum cum crudo quinquies, vel sexies sublimandum esse censent, verùm Mercurius hoc modo præparatus nimis dulcescit, atque ad purgandum planè inefficax redditur, quia ita omnis acrimonia, a qua ejus vis purgatrix dependet, ei adimitur. Media incedunt via Augustani, qui Mercurium cum crudo ter sublimandum esse præcipiunt. At Josephus Quercetanus, & Dan. Ludovici Pharmac. modern. dissert. 1. de purgant. mineral. p. 222. Mercurium sublimatum semel tantum cum Mercurio crudo sublimandum, & deinde aquâ calidâ eluendum esse sedulò monent.

monent. Hunc Mercurium dulcem præsertim aliis purgantibus exstimulatum, & circumspectè adhibitum securum remedium, & per tot sublimationes præparato, & enervato præstantiorem esse asserit. Quanquam etiam ille alter ad usum Medicum non inutilis sit, atque aliis intentionibus Medicis, ut sanguini depurando, salivationi ciendæ, &c. inserviat. Ceterùm ita tutus est, ut debito modo, & in justâ quantitate etiam infantibus exhiberi possit. Mercurius verò una tantùm & alterâ sublimatione præparatus, fortior est, & majore cum cautela administrandus, atque in minore quantitate exhibendus, vel juxta variam ejus præparationem etiam dosis ejus varianda est, sedulo ita caventes, ne in vitam & sanitatem ægroti peccetur.

Quare non assentire possum Kenelm Digby, qui remed. expert. part. 2. cap. 2 12. scribit in præparatione mercurii dulcificati ad evitandum periculum id studendum esse, ut omnis ejus vis corrosiva aufferatur. Nam vim corrosivam mercurii dulcificati nocere posse non negamus, verùm eam valdè prodesse posse, etiam non negari potest, & eos, qui Mercurium corrosivum in medicinâ non tolerandum, vel eum, ut utile & securum evadat remedium, omni sua acrimoniâ privandum esse censent, idem factitare credo, ac eos, qui cultelli acutiem, ne quis eo se lædat, aut

vulneret, dum obtundere conantur, simul etiam eum, ad usum quotidianum inutilem reddunt. Est enim hoc remediorum generosorum proprium, ut eorum usus cum periculo sit conjunctus, & quo ea in abusu periculosiora sunt, eo etiam in usu præstantiora, quod de omnibus venenis verum est, quæ tamen non ideo negligenda, sed tantum cum majore cautelâ utenda sunt. Nam accidit sæpius, ut dum propter inanem metum de remediis securis nobis prospicimus, simul etiam ea suâ virtute medicâ spoliemus. Qui verbis meis non fidem habet, faciat ipse periculum, exempli gratiâ in lue venereâ, & febribus intermittentibus, atque observabit grana aliquot Mercurii corrosivi plus præstare in his morbis curandis, quàm tot scrupulos ejus nimium dulcificati, simulque certus fiet, tàm utilem, quàm noxiam qualitatem in Mercurio ab unâ causâ provenire.

Uti autem Mercurius dulcificatus, si omnis corrosivitas in eo tolleretur, ad cruditatem humorum corrigendam, eorumque crassitiem incidendam, hæc enim sunt, quæ potissimum ejus usum in Medicinâ commendant, ferè ineptus redderetur, ita adhuc meritò ambigitur, an Mercurius tot sublimationibus edulcoratus, tam securum, uti jactatur, sit remedium, & an hic Draco mitigatus, uti Chymici & Medici non nulli eum appellant, suam

feram

feram & venenatam naturam ita exuerit, ut ei Medicus & ægrotus tutò fidere, & in cujus exhibitione in utramque aurem dormire possint. Ego credo curationem ne sic quidem periculo carere, atque eam non semel male cessisse scio. Nam corrosivam virtutem in Mercurio dulcificato mitigatam, & infractam, non verò omninò sublatam probat 1. ejus præparatio, conficitur enim ex Mercurio sublimato, & Mercurio vivo, cujus interventu particulæ corrosivæ sublimati mitescunt, & edulcorantur quidem, remanente nihilominus in concreti corpore sale acido, â quo tàm consistentia Mercurii, quàm ejus corrosivitas unicè dependet. Atque hanc præparationem displicere Helmontio ex ejus verbis, quibus tit, Ignotus Hospes parag. 49. innuit: "Mercurium, si ex voto operetur, oportere mori absque ullo salium externorum sodalitio," aut spirituum alienorum consortio, colligi potest. 2. Mercurio dulcificato salem corrosivum causticum adhuc inesse probat usus ejus in medicina, non solùm quod humores crassos, viscidos incidat, attenuet, sed etiam quod copiosius exhibitus purget, & salivationem moveat, quod observare licet in Mercurio sublimato, præcipitato, turpetho minerali, qui enormes vomitus, dejectiones per alvum, & salivationes concitant, quodverò Mercurius sale omni acido destitutus, & sibi soli

soli relictus, si intra corpus sumatur, vix præstat. Vidimus enim Mercurium vivum ad aliquot uncias imprimis in colicis & Iliacis affectibus exhibitum, etiamsi per aliquot dies in corpore delituerit, nec purgasse, nec salivationem excitasse, quod vero Mercurius externè inunctus salivationem cieat, exinde fit, quia is ad interiora properans in sero sanguinis salinum principium invenit, cui conjunctus, glandulas salivales irritat, & ad excretionem stimulat. Quod igitur Mercurius dulcis in maj[illegible]e vel sæpius repetitâ dosi sumptus purget[illegible] salivationem moveat, id potissimum ab ejus sale acido provenit. 3. Probat Mercurii dulcis abusus corrosivam & venenatam naturam ei non deesse. Observavi enim, atque ejus rei exempla aliquot, nisi aliorum famæ parcerem, citare possem, Mercurii dulcis nimiam, aut nimis crebrò repetitam dosin, multis ægrotis mortem attulisse. Et D. D. Daniel Cruger observ. 41. Ephimer. Natur. curios. Decur. 2. Anni 6. optime mo- "net, Mercurium dulcem consideratè usur- "pandum esse, cum ejus usum noxium fuisse "ex plurimorum observatione constet. Daniel Sennert. tractat. de consens. & dissens. Chymic. cum Aristotel. cap. 18. Mercurium dulcem non sine damno semper exhiberi dicit, recensetque ibidem exemplum Medici cujusdam, qui per Mercurium dulcem ritè præpa-

præparatum, & quibusdam innoxiè exhibitum, in vitæ periculum fuit præcipitatus. Similiter de noxa Mercurii dulcis summopere queritur Glauberus part. 2. furn. Philosophic. cap. 18. & quantopere nervis apud innocentes infantes sæpius exhibitus, noceat, deducit, neque mirandum esse ait, quod in illâ dosi, malignitate, & venenositate suâ vermes interficiat, cum in justâ dosi ipsum hominem, & omne animal interficere possit. Exemplum cujusdam, qui â Mercurii dulcificati unciâ dimidiâ sumptâ fuit extinctus, refert D. Samuel Ledelius observ. 14. Ephimer. Natur. Curios. Decur. 2. Anni 10. Cui consonum est, quod extat in tract. 10. Theod. Mayerne, de morb. extern. Prolegomen. de lue vener. Mercurii quantumvis correcti in corpore diuturnam moram non esse admodum tutam.

Quapropter Medicus in exhibitione Mercurii dulcis non minùs circumspectè, quàm aliis rebus venenatis agere, & imprimis cavere debet, ne in nimiâ dosi peccet. Nam quod periculum ægroto â Mercurio corrosivo, idem etiam â dulcificato ei obvenire potest, cujus corrodendi vis licet in Mercurio dulcificato non tanta sit, quanta in Mercurio sublimato, præcipitato, ea tamen est, quæ in majore, quàm par est, dosi, in hominis vitam & sanitatem peccare potest, quæ admonitio etiam in præcipitato Solari, Auro vitæ, Arcano corallino,

rallino, & aliis locum habet. Unde curatio, quæ per Mercurium vivum externe inunctum salivationis ciendæ gratia instituitur, mihi illâ, quæ per dulcificati crebram & internam exhibitionem peragitur, securior esse videtur. Ut jam non dicam Medicum de modo præparandi Mercurii, & industriâ Pharmacopœi non semper certum esse posse. Ubi etiam obiter notandus venit error Friderici Hoffmañi Pharmacop. Schrœder. libr. 3. cap. 15 §. 48 dicentis, admiratione dignum esse Mercurium dulcem in sola lue venerea exhibitum salivationem excitare, si rite præparatus fuerit, in aliis verò affectibus non, cum tamen quotidiana praxis, Mercurium dulcificatum largius & sæpius exhibitum, etiam in aliis affectibus salivationem movere, testetur.

Sed non minùs spiritus vitrioli philosophicus ritè exhibitus probat corrosivitatem Mercurii in usu Medico non formidandam esse. Hunc spiritum Chymici, uti etiam ipse Kinelm Digby expert. remed. part. 2. cap. 2. 30. scribit, ex aqua præcipitationis Mercurii eliciunt, alii eum ex aqua præcipitationis buthyri antimonii parant, ut ex Guerneri Rollfinccii Chym. in art. form. redact. libr. 3. sect. 1. artic. 4. cap. 17. haberi potest. Hæc autem aqua ablutionis & præcipitationis Mercurii nihil aliud est, quàm aqua, in aquam Mercurius

rius suum sal corrosivum, & ut illi putant, venenatum deposuit. Ex istiusmodi aqua destillatur ille spiritus, quem internè ad guttas aliquot sumptum ad varios morbos, ut luem veneream, febres ardentes, scorbutum &c. nec non ad externos usus commendant Medici & Chymici, &, ne de ejus egregio in medicinâ usu dubitetur, eum nomine spiritus philosophici insigniunt: quod probat etiam sal corrosivum Mercurii, licet adhuc corpori ejus illigatum sit, in curandis morbis non minoris efficaciæ esse, quam est ille spiritus acer & causticus, qui cum sale corrosivo Mercurii ejusdem est naturæ; sin verò corrosivitas Mercurii ita venenata esset, ut nullo modo in usum Medicum venire posset, tunc etiam ille spiritus nunquam tutò usurpari, & sumi posset, quod verò etiam est contra opinionem Chymicorum, qui hunc spiritum salutarem esse prædicant, nec ejus vim corrosivam formidant, quam tamen cum Mercurio conjunctam, ut noxiosissimam proscribunt, & ita sibimet ipsis contradicunt.

Secunda cautela in usu mercurialium remediorum est, ne ea exhibeantur catarrhosis, ad phthisin pronis, & qui humores nimis fluxiles habent, ad alvi fluxus sunt proclives, non quibus massa sanguinea humoribus acribus est referta, uti nonnullis hypochondriacis, scorbuticis, nullis biliosis, atque natura

turæ calidioris hominibus. Neque impune ferent usum mercurialium, imprimis violentorum, qui imbecillitate nervosi generis laborant, per morbos viribus sunt exhausti, non infantes, pueri, fœminæ delicatiores. In febribus malignis, peste, usus Præcipitati non facile concedi potest nisi ab initio, aliâs morbus cum summa virium prostratione conjunctus tam violentum remedium non fert, nisi violentia remedii per solicitam correctionem sit ablata, uti Bovius de suo Hercule deprædicat, quem febribus petechialibus non infeliciter se opposuisse affirmat.

Externè Præcipitatus & Sublimatus ad varios usus adhibentur.

Ad Tineam commendat Sublimatum Zacutus Lusitanus de Medic. Princip. histor. libr. 1. historiæ 3. observat. 2. p. m. 2. sequentibus verbis: Tinea contumacissimus morbus est, quâ cum septem annorum spacio juvenis laboraret, & varia universalia, topicaque ex helleboro, sulphure vivo, auripigmento, calce vivâ, alumine, Mercurio, & aliis violentis conflata experiretur incassum, aquâ calidâ, quantum ferre poterat, in quâ prius sublimatum infundebatur, singulis diebus bis, toto capite lotus (prius tamen purgato corpore) sanitatem obtinuit. Erat enim quantitas sublimati ʒij. ad libr. 1. aquæ. Hoc enim medicamentum, pro hoc Herculeo

morbo

"morbo præ ceteris debellando est præstan-
"tissimum. Experieris & miraberis effectum,
"& non cessabis lavare caput, quousque ulce-
"ra omninò mundentur & rubescant.

Ad Achores, tineam & favos puerorum sequens remedium est Henric. Scretæ.

℞. unguent. Saturnin. Zwolffer. ℥ij. flor. sulphur. Mercur. præcipit. rubr. ā. ʒij. ol. scorpion. q. s. f. linimentum.

Ratio effectus est, quia Tineæ, Achorum, causa est fermentum putredinale, corruptivum, cutem capitis infestans, in quo extinguendo sublimatus Mercurius sibi non par habet. Quamvis Mayerne tractat. de morb. extern. cap. 17. p. m. 182. Mercurialibus circa caput cautè utendum esse suadeat.

Kinelm Digby part. 1. remedior. expertor. p. m. 177. contra gangrænam sequens præscribit. ℞. Mercur. Sublimat. ʒj. eum dissolve in aq. calc. viv. ℥viij.

Eadem præscribit Theodor. Mayern. tract. 2. cap. 10. de morb. extern. ℞. aq. calc. viv. libr. 2. Mercurii sublimat. corros. ʒij. misce, & coque aliquantulum. Mercurius è flavo rubescens præcipitabitur. Dosis Mercurii potest augeri, aut minui, pro re natâ, usus post universalia. Agitetur phiala, & imbibantur pulvilli ulceri applicandi, nec non imbuantur splenia, mutando quartâ quaque horâ. Addatur huic liquori pars quarta spiritus vini sine phlegmate. In

In officinis proſtat aqua mercuriata, quam Mercurius ſublimatus ingreditur, & ad puſtulas, verrucas, ficus, ſerpiginem, ſcabiem malignam, fiſſuras in volis manuum, & plantis pedum mirificè prodeſſe partibus affectis leniter penicillo contactis experientia multiplex teſtatur.

Gregorius Horſtius libr. 2. part. 2. obſervat. 13. aquam mercurialem pro ſcabioſis ex Mercur. ſublimat. ℥ij. arſenic. alb. ʒj. euphorb. ʒij. ſpirit. vini optim. menſ. ß. aq. roſar. ℥viij per 24. horas digeſtis, & toti corpori illiniendis, præſcribit.

Quidam Juriſconſultus ſexagenarius vexabatur ſcabie manuum inſanabili, in quâ puſtulæ parvæ plurimæ albidæ oriebantur ſubinde, quibus ruptis, aquoſitates effluxerunt. Nullis remediis conferentibus, purgatione, venæſectione, & extra lavando partes affectas aquâ mercuriali, donec ſpontè ſiccentur, per aliquot dies lotionem continuando curatur. Martinus Rulandus Curat. empiric. libr. 4. tit. Scabies.

℞. unguent. pomat. ℥vj. flor. ſulphur. ʒß Mercur. præcipit. rubr. ℈j. alb. gr. v. ſacchar. Saturn. ʒß. ol. deſtill. lign. rhod. gutt. v. olei olivar. q. ſ. f. unguentum, quod inſervit contra ſcabiem.

℞. terebinthin. ter lot. primo aquâ fontanâ, deinde aquâ roſarum, & plantagin. ℥iij.

vitell.

Vitell: ovor. nō. i. olei rosar. ℨiß. argent. viv. sublimat. ℈ß. m. f. unguentum. Quia unguentum trahit, paretur defensivum ex olei rosar. ℥iij. acet. ℥ß. boli armenæ parum. Misce, & inunge partes circum ulcus ad 4. aut 6. digitos. Interim tamen membrum, in quo ulcus consistit, propè ignem sit positum, quo fiet, ut æger, dum caro ab exedente medicamento corroditur, dolorem notabilem non sentiat, quæ postquàm exesa est, buthyro inunguendum erit ulcus per diem unum, & videbis effectum mirabilem. Alexius Pedæmontanus de Secret. libr. 1. p. m. 81.

℞. aq. plantagin. rosar. ā. ℥iiij. Mercur. sublimat. sacchar. cand. alb. spirit. vini optim. ā. ℥ß. misce, & adde aq. fortis ℈j. d. s. Flechten Wasser. Impetiginem & Lichenes omnes etiam contumacissimas sanat. Ante usum autem semper moveatur, & cum penicillo in liquorem tincto tangatur locus affectus. Adrianus Minsichth Armament. Medic. Chym. sect. 21.

Vel ℞. vitriol. alb. camphor. ā. ℥ß. Mercur. sublimat. ceruss. tartar. alb. alumin. ust. ā. ℨij. nihili alb. ℨß. misce f. pulvis cujus ℥ß. cum aceto vini optim. ℥iiij. misce. Idem loc. cit.

℞. borrac. venet. sacchar. canar. alb. Mercurii sublimat. ā. ℨij. pulverisentur subtilissimè, seorsim in petiâ ligata coquantur ad lique-

 quefa-

quefactionem Mercurii in roris majalis supra triticum collecti libr. iiij. & in colaturâ adhuc calidâ solve camphor. ℥ij. filtra & ad usum serva. Externè saltem adhibetur contra faciei maculas, quas tollit, & cutem dealbando illustrat. Sed in applicatione cave, ne oculos vel dentes attingas. Idem loc. cit. sect. 26.

Herpetes miliares aquâ mercuriali curari sæpius fuit observatum. In officinis prostat ad usum quotidianum Mercurius cosmeticus, seu præcipitatus albus, de quo consule Pharmac. Augustan.

Sequentis remedii in pustulis ulcerosis faciei ipse experimentum feci. ℞. aq. plantagin. ℥iij. rosar. ℥ij. naph. ℥j. mercurii sublimat. ʒvj. coque in vase clauso ad dimidiam horam. Colatura detur pro lotione alternis diebus manè, siccescat sponte facies. A primâ lotione intumescit, inflammatur, & turpius fœdatur, à secundâ, tertiâ, mundatur. Clariss. D. Rosinus Lentilius Miscellan. Medic. part. 1. p. m. 104. 2. dicit hanc aquam raro fallere. Est aqua ab Alexio Pedemontano libr. 1. de Secretis descripta. Hæc aqua etiam cuti candorem conciliat, & cum omnes humores vitiosos, salsos & putridos ex profundo corporis extrahat, verisimile quoque est, eam ad morbum gallicum, podagram, aliaque hujusmodi permulta vim habere, præsertim cum argentum vivum sublimatum ad carnem non

solùm putridam optimum sit remedium, verùm etiam ad alia ulcera immedicabilia. Imprimis hæc aqua in scabie aufferendâ effertur â Pedemontano.

℞. unguent. pomat. optim. ℥iß. ol. camphor. gt. iij. Mercur. præcipitat, ℈ß. benz. ℈j. in aq. vitæ ʒj. dissolut. misce accuratissimè in mortario plumbeo pro unguento.

In impetigine, pruritu, ℞. aq. nymph. rosar. plantagin. ã. ℥iiij. aq. fragor. (vel sempervív. maj.) ℥vj. borrac. venet, ʒiij. alumin. rup. ʒij. camphor. ℈iv. sublimat. optim. præpar. ʒiß. misce, f. lotio partis affectæ. Mayerne tract. 2. cap. 21. de morb. extern.

℞. aq calc. viv. libr. 1. Mercur. præcipit. rubr. q. s. ad aquam colore luteo saturandam & vitro concusso tingendam. f. lotio. vel

℞. aq. rosar. plantagin. ã. ℥j. Mercurii sublimat. gr. vj. misce. f. lotio. vel

℞. aq. fortis commun. ℥j. Mercurii crud. ℥ß. dissolve, dissolutioni adde duplum, triplum, qrodruplum aquæ rosarum & solani ã. misce f. lotio, vel

℞. Salis Mercur. ℈ß. aq. rosat. ℥j. misce f. lotio è linteolo applicanda. Hæ aquæ valent ad ulcera herpetica, exedentia, maligna.

Ad varos faciei convenit sequens. ℞. Salis tartar. albissim. ʒiß. sublimat. præpar. ʒj. borrac. sacchar. cand. salis prunell. alumin. ust. perlar. ã. ʒß. camphor. ℈ß. aquæ fragor.

 ℥iiij.

℥iiij. rosar. nymph. plantagin. ā. ℥iß. misce. Usus fit vesperi.

Plura remedia contra ruborem, maculas, & asperitates faciei Mercurium sublimatum in suas compositiones recipientia, vide apud sæpius citatum Mayerne de morb. extern. cap. 16. Et vix est cosmeticum nobile, quod non admittat Mercurium sublimatum, vel præcipitatum.

Aqua caustica ad exsiccanda ulcera sinuosa & fistulosa per siphonem injicienda valet sequens Hildani. ℞. Mercur. sublimat. ʒij. ceruss. litharg. alumin. ust. tartar. ust. ā. ʒj. aq. fontan. spirit. vini ā. ℥ij f. ebullitio. In colatur ℥j. dissolve unguent. ægyptiac. ℥ß. m.

℞. salis armoniac. cantharid. ā. ʒ j. scabios. pulveris. ʒ ij. Mercurii sublimat. ʒ iß. unguent. resin. ℥j. misce f. unguentum, ad anthraces pestiferos occidendos. Joh. Langius libr. 3. epistol. medic. cap. 2.

Andræas Cæsalpinus specul. art. medic. libr. 3. cap. 3. Mercurium sublimatum unà cum arsenico, croco, garyophyllis, cinamomo in sacculum sericum inclusum, arteriis in carpis, & regioni cordis applicatum, præstare inquit, ut quis inter infectos tutò versari, & contrectare possit res pestilentes.

Hanc virtutem contagium in peste & malignis febribus sistendi etiam crudo Mercurio, & aliis mercurialibus remediis inesse jam observarunt alii Medici. Petrus

Petrus â Castro sect. 8. §. 12. de febr. malign. hydrargyrum pectori appensum genuino & latente odio venena fugare affirmat, hinc est, pergit, quod dulcificatum, & auro, ut decet, coopertum, mirum in modum in febre puncticulari pro expurgandis pravis & deleteriis humoribus ad grana 15. & ultra cum conservâ aliquâ solutivâ exhibitum, opituletur.

Thomas Willisius amuleta ex arsenico & Mercurio præstantissima esse judicat.

Claudius Deodatus Mercurium vivum insigne morborum contagiosorum alexipharmacum esse, pestemque arcere, asserit in suo Pantheo Hygiastico cap. 19. de Mercurio vivo. Propter hanc Mercurii vivi excellentem virtutem, nulla unquam pestis viguit in his terris, ex quibus is effoditur, testis est terra Gotliriensis, quæ Mercurii ferax est, cujus incolas nulla unquam pestis invasit, observante eodem Claudio Deodato.

Eadem observavit Beguinus, ut in suo tyrocinio chymico cap. 113. & ex eo Theophilus Bonnettus Mercur. compitalit. libr. 6. Sylloge de Pest. § 33. p. m. 262. testatur. Quamvis in viciniâ Istriæ singulis ferè annis lues pestifera grassetur, illam tamen semper immunem manere, quia copiosè ibi provenit Mercùrius, exinde concludit, Mercurium esse summum omnis corruptionis & putredinis

alexipharmacum. Fridericus Hoffmannus pharmac. Schrœder. libr. 3. cap. 15. §. 8. enarrat de quodam Medico, qui peste infectis propinavit Mercurii viv. libr. 1. 2. 3. in quodam vehiculo, & injunxit ægro infecto quietum decubitum ad 6. usque ad 12. horas. Quando per alvum iterum fuit egestus, per magnetismum attracto veneno pestifero terrâ effossâ occultato. Quo ipso probatur Mercurium vivum non solùm â peste præservare, sed eam etiam præsentem, fugare.

Quanta virtus cinnabari de collo suspensæ ad pestem arcendam insit, legi potest in tract. Kinelm Digby de remed. expert. part. 2. p.m. 34. Is ex Paracelso adducit, si quis tempore pestis cum ciñabari pulverisatâ, & terebinthinâ tabellas formet, atque unam earum ad plagam orientalem, alteram ad occidentalem, tertiam ad meridionalem, quartam ad septentrionalem domus ponat, cavendo solùm, ne quid humidi accedat, eam domum certissimè unâ cum suis inhabitantibus â peste præservatum iri.

Ratio hujus virtutis est, quia miasma pestis putredinale lentum & viscidum est, atque lentore suo alteri corpori facilè adhæret, & in eo per fermentationem corruptivam quandam similem morbum producit, & ita morbum propagat, mercurialia verò remedia, imprimis sale acuata, (quod etiam de Arsenico

verum

verum eſt) ſunt tenuiũ partium, illudque miasma incidunt, attenuant, devorant, & non ſecus ac alter ignis conſumunt. Quod probè eſt notandum contra eos, qui peſtem ab exhalationibus mercurialibus, & arſenicalibus, & aliis venenatis aerem inficientibus oriri aſſerunt, experimenta enim allata demonſtrant, venena arſenicalia & mercurialia peſtem arcere, non progignere; deinde contra eos, qui venenum mercuriale in præſervatione â peſte venenum peſtilentiale ob ſimilitudinem ad ſe trahere aſſerunt, neque enim hoc verum eſt. Nam ſupra diximus Mercurium in reſpectu ad cauſam peſtis non venenum eſſe, ſed alexipharmacum, illudque genuino & latente odio, & non συμπαθετικῶς, ſed ἀντιπαθετικῶς venenum peſtis & febrium contagioſarum fugare. Præterea ad contagium arcendum non parùm contribuere credo, quod Mercurius ſuam virtutem etiam in diſtans non ſecus ac lumen radios ſuos, ſpargat, atque omnia penetret. Unde non ſolùm inunctus, ſed etiam nodulo incluſus & geſtatus nonnullis affectibus, ut pediculorum morbo, ſcabiei medetur, vel ab iis præſervat. Nonnulli calamo incluſum de collo ſuſpendunt, ut ſe â peſte &c. tutos præſtent. Mercurio tantam penetrandi virtutem ineſſe â Pharmacopolis accepi, ut ſi quis Mercurium ſublimatum in vitro incluſum aſſer-

 vet,

vet, atque juxta id antimonium diaphoreticùm in alio vitro inclusum ponat, non tamen præcaveri possit, quin antimonium diaphoreticum à vicino sublimato corrumpatur, & ex diaphoreticò remedium emeticum evadat.

Ad arthriticos dolores sedandos ex Theod. Mayern. tract. 3. de arthritid. p. m. 260. sequens: ℞. Mercur. præcipitat. arseniç. alb. ā. q. s. & cum aquâ fontanâ fiat pasta loco affecto applicanda, vel potius in circumferentiâ. Cutem exulcerabit sine doloris sensu.

Aqua podagrica Rulandi hæc est. ℞. aq. terr. sanct. libr. 1. aq. Martis libr. 2. liquor. mercurial. ℥ß. croc. metallor. ʒj. misce & ebullitione factâ usui servetur. Aqua terræ sanctæ est aqua multiplicis extinctionis Veneris, seu cupri igniti, aqua martis ex multiplice ferri igniti extinctione, & coctione ad medias paratur. Liquor Mercurii est hic. ℞. aq. plantagin. libr. 1. rosar rubr. libr. ß. fl. aurantior ℥iiij. Mercur. sublimat. ℥ß. misce coque lento igne per horæ quadrantem, remove ab igne, & refrigeratus liquor servetur vase vitreo ad ùsum.

Emplastrum ad tophos podagricos resolvendos, quod Mercurius præcipitatus ingreditur, vide in Thesaur. Pharmac. Frider. Hoffmann. sect. 10. §. 16. Aliud ad tophos venereos resolvendos. ℞. gumm. ammoniac. in acet. solut. libr. 1. pulver. radic. bryon.

alth

alth. ā. ℥ij. turpeth. mineral ℥iß ceræ alb, ℥ij, misce f. emplaſtrum, vide loc. cit. §. 17. Item aliud ſimile §. 18. loc. cit.

In nodis podagricis ſolve Mercurium ſublimatum in radice bryoniæ, exprime liquorem, qui lapillos eruet, & emplaſtro conſolidandas partes relinque, Mayerne tract. 3. de morb. extern.

Emplaſtrum gummi ammoniaci in aceto diſſoluti quod cum paucâ quantitate buthyri antimonii mixtum eſt, reſolvit tumores etiam duriſſimos D. Joh. Dolæus Encyclop. Chirurg. libr. 5, cap. 7. § 18. Notum autem eſt buthyrum antimonii nihil aliud eſſe, quàm antimonium crudum cum Mercurio ſublimato deſtillatum.

Ad morſus animalium rabioſorum Andreas Matthiolus comment. in libr. 6. Dioſcorid. cap. 27. Mercurium ſublimatum effert his verbis: Quod ſi timidus quiſpiam uſtionem " ignis terrore recuſet, ſepticis & exulceranti- " bus remediis eſt utendum, quale in ceteris " præſtat argentum, quod ſublimatum vocant, " admiſcetur id unguentis refrigerantibus, " quo minus doloris inferat. Probatur hoc, " quod non ſolùm valentiſſimè inurat, ſed " quod etiam exuſta ab eo caro obductâque " cruſtâ duobus tantum diebus poſt decidat. " Et paulò poſt: Ubi verò è vulnere cruſta de- " ciderit, ſalutiferum quidem fuerit remedi- " um

dium plagæ quotidie pulverem Præcipitati"
(sic enim vocant Chymistæ argentum vi-"
vum in pulverem rubicundum conflatum)"
inspergere, siquidem id eximium & præ-"
stantissimum præter id, quod vulnus occlu-"
di prohibet, diuque patens servat, attrahit"
etiamnum ex profundo ad superficiem po-"
tenter venenum, quâ in re ceteris hujusce"
facultatis præcellit medicamentis. Com-"
modè etiam nec minùs efficaciter, idem pul-"
vis attractoriis emplastris, sive unguentis"
ammisceri, & subinde vulneri admoveri po-"
test. Etenim jamdudum certior sum in u-"
niversâ medicæ facultatis materiâ nullum"
haberi medicamentum, quod valentius ex"
alto revocet, extrahatque virus, quàm Præ-"
cipitatum dictum.

In ossibus corruptis optimum est exfolians aqua aluminosa Fallopii, quæ paratur ex aq. plantagin. rosar. ā. libr. 1. alumin. roch. Mercur. sublimat. ā. ℥ij. bulliant ad medias. fiat residentia pulveris per 5. dies. Limpidum decantetur â fecibus. Utere per se in carie ossium filamento sicco partibus vicinis circummunitis. Alibi cum duplo, vel quadruplo aquæ rosarum. Agit sine, & cum dolore.

Ad phthiriasin puerorum Henrici Scretæ est ℞: unguent. rosar. ℥ij. Mercur. præcipitat. ℨij. m. Hoc unguento caput ubique perfricetur, & post inunctionem elapsis horis octo lixivio communi calente abluatur. Ad

Ad suffusionem oculi inhibendam Mercurium corrosivum, non secus ac Arsenicum, uti supra dictum, valere, probat illud Vopisci Fortunati Plempii Ophthalmograph. libr. 5. cap. 24. p. 316. descriptum, quod tale est. Rec. aq. rosar. fœnicul. chelidon. apii ā. ℥xj. Mercur. sublimat. ℈ß. m. & filtra post dissolutionem Mercurii. Quotidie manè jejuno ventriculo gutta una vel altera in oculum affectum immittitur.

In scrophulis externe Theodor. Mayerne Prax. libr. 1. cap. 19. jubet plagæ per scalpellum tumore ad centrum usque inciso indere Mercurii sublimati granum, & ita glandulas corruptas exscindere, seu extirpare.

Alexius Pedemontanus libr. 1. de Secret. ad tumores duros, callosos resolvendos in lue venereâ præscribit unguent. aurei ℥iij. argent. viv. sublimat ℥j. (quæ dosis mihi nimia, & error typographicus esse videtur) misce, & tumori superimponito cum panno linteo per diem unum, aut plures, quousque tumor fuit consumptus. Videbis effectum admiratione dignum. Absumpto tumore pannus linteus buthyro inunctus imponendus, deinde vino lavandus. Hoc unguentum etiam omnes aquositates, vitiososque humores ex toto illo membro tumore obsito extrabit, & totum membrum â malâ dispositione liberat. Hâc ratione etiam scabies aquâ mercuri-

ali

ali curatur, & omnes hujusmodi morbi externi, propterea, quod aquositates vitiososq; humores à toto membro illo, cui imposita fuerit, extrahat, id quod facilè conjici potest, non solùm pannis fasciisque madefactis, verùm etiam aquâ ab illo membro promanante, Quare hoc remedio varii dignique admiratione morbi curabuntur, modò rectè quis eo utatur.

Quid Mercurius sublimatus & præcipitatus in carunculâ penis, polypo narium, & aliis tumoribus duris auferendis possit, de eo Medicorum & Chirurgorum libri abunde docent.

Arcanum Joh. Fortis pro carunculâ penis absumendâ consil. 98. centur. 3. tom. alter. ita describitur. ℞. Mercurii præcipitat. in porphyrit. levigat. ℥j. spirit. vini ℥iij. ad ignem exsiccetur. Præcipitatum itèrum lævigetur, cum cerato de Gratiâ Dei misceatur. Usus est portiunculam hujus cerati inungere summitati candelæ in urethram immittendæ, uti supra de Arsenico monuimus.

Unguentum ad verrucas penis juxta præceptum D. Medicorum Augustanorum componitur ex Mercurio præcipitato, & unguento anodyno primùm, deinde de cerussâ æquali portione mixtis.

Ad hæmorrhoides in Zodiaco Gallico Ann. 1. observat. 11. tanquàm mirabile unguentum extollitur, quod ita præparatur.

℞. acet.

℞. acet. stillatit. ℥ij. dissolve in eo salis Saturni ℥j. adde olei rosar. omphacin ℥iij. subigantur omnia in formam nutriti, adde Mercurii præcipitati rubri subtilissimè pulveris. ʒiß. Verùm tutius ab istiusmodi remediis acidis, & fibras irritantibus abstineri, ne crabrones irritentur; & malum deterius reddatur, censent nonn illi. At hic metus est de nihilo. Nam juxtà doctrinam Hippocratis rectum intestinum & secante & resecante, & urente & putrefaciente, etiamsi hæc gravissima esse videantur, nihil læditur. Confer Theodor. Mayern. prax. libr 3, cap. 6. Ubi etiam in fistulâ ani commendatur aqua calcis vivæ cum Mercurio sublimato commixta, & saccharo Saturni edulcorata.

Præcipitatum in aquâ hordei, vel decocto plantaginis, cynoglossæ, vel eorum aquis destillatis infusum, optimum esse pro ulceribus ani remedium, atque eo Hier. Montuum Principem fistulâ ani laborantem curasse, refert Joannes Schenckius centur. 6. observ. 60. Rationem cur intestina crassa, & imprimis intestinum rectum caustica, & arsenicalia in debitâ quantitate citra notabilem læsionem perferre queant, reddimus capite de Arsenico.

Ex Mercurio sublimato & purissimo antimonio destillatur liquor unctuosus, buthyrum antimonii dictum, ex quo deinde Mercurius vitæ, quem puræ antimonialis virtutis esse falsò dici, modò monui, conficitur. Hoc

Hoc buthyro antimonii, seu oleo carbunculus pestilentialis illitus paulatim emoritur, & excutitur. Si illud circumcirca parti affectæ illinatur, ad miraculum sistitur partium omnium serpens corruptio, ac omnia depascens. Confer. De le Boe Sylvium.

Inservit præterea hoc buthyrum Chirurgis pro corrosivo ad fonticulos excitandos. Nam carnem & cutem exedit sine dolore & molestiâ.

Gummi ammoniacum in aceto solutum cum modicâ quantitate buthyri antimonii ei adjectâ etiam durissimos tumores resolvit, quod etiam præstat gummi galbanum, ut ℞. emplastr. de galban. crocat. Minsichth. vel galban. simplic ℥ß. buthyr. antim. ℈j. m. f. emplastrum. Valet etiam pro verrucis extirpandis,

Carthesiani, ut ex iis Clar. Joh. Dolæus Encyclop. Chirurg. libr. 5. cap. 13. ad verrucas averruncandas, mitioribus remediis nihil juvantibus, ad buthyrum antimonii accedunt, eoque, partibus vicinis prius imposito defensivo, verrucas attingunt, quas funditus tùm extirpari promittunt, quod etiam faciunt alii, nec præter rationem. Nam verrucæ vix aliis parent, quàm remediis causticis, & corrosivis, unde alii arsenicalibus, alii aquâ forti verrucas illinunt.

Verùm non solùm, ut jam fuit ostensum,

Mercu-

Mercurius sublimatus, præcipitatus, Buthyrum antimonii, sed etiam aquæ, in quibus eorum ablutio & præcipitatio facta est, quibusque per hanc ablutionem corrosiva virtus communicata fuit, multis inserviunt usibus in medicinâ.

Aqua ex buthyro antimonii residua, acidula, succo chalcantoso ebria, spiritus vitrioli philosophicus dicitur, quia post levem evaporationem in virtutibus illi ambiguam palmam facit, uti ex Rollfinccii Chym. in art. form. redact. libr. 5. sect. 6. cap. 13.

Contra pruritum ani, si malum admodum pertinax fuerit, liquoribus specificis addendam esse usus tempore aquam ablutionis, & præcipitationis mannæ Mercurii, aut Mercurii albi præcipitati ad fucum præparati, quem aliâs cosmeticum nominant, suadet Theod. Mayerne tr. 2. c. 22. de morb. extern.

In usu remediorum mercurialium corrosivorum externo hoc in genere admonendum est, ne ea applicentur partibus membranosis, nervosis, & valde dolentibus, ne scilicet spiritus jam tum efferati & turbati vehementiâ remedii ulterius irritentur, efferentur, & inflammationes lethales producantur.

ANtidota remediorum mercurialium imprudenter, & malitiosè exhibitorum sunt omnia ea, quæ eorum particulas aculeatas, pun-

pungentes, viſciditate & mucilaginoſitate obtundunt, oblinunt.

Talia ſunt aqua communis, roſarum; lac bubulum recens, buthyrum recens, mucilago ſem. cydoniorum, tragacanthæ cum aquâ roſarum extracta, albumen ovi, ſuccus althææ. Item oleum commune, roſarum, atque alia contra venenum arſenici & cantharidum prædicari ſolita.

Clyſteres humectantes emollientes cum oleoſis, pinguibus parati, qui etiam clyſteres ex lacte cum pauco croco parari poſſunt.

Atque hæc omnia etiam iis poſſunt exhiberi, quibus à Mercuriali remedio excitata ſalivatio periculum creat, quod ſæpe accidit; vel quia Mercurialia in nimiâ copiâ fuerunt exhibita, vel quia natura ægroti propter debilitatem viſcerum & nervoſi generis ſuſtinendæ curationi per ſalivationem impar fuit, ex quo non ſemel convulſiones, alvi fluxus dyſentericos; & cruentos provenire, & ægrotos mortuos fuiſſe ſcio. In hoc caſu nihil convenientius eſſe judico quàm lac bubulum recens epotum, vel emulſiones arte cum aquâ roſarum paratas adjectis mucilaginibus; iis enim acres particulæ mercuriales membranoſas & glandaloſas partes corporis continuò corrodentes, & mucoſas humiditates ex iis emulgentes inviſcantur, & ad irritandum ineptæ redduntur. Ubi hoc etiam notandum eſſe cenſeo

censeo salivationes per inunctiones externas Mercurii promotas minus periculi parere, quàm quæ per internam Mercurii dulcis, turpethi mineralis, Præcipitati, exhibitionem oriri solent, quanquam nec hoc negari potest, salivationem per Mercurialia internè data, in expurgando sanguine majorem effectũ habere.

In his & similibus affectibus etiam croci virtus anodyna, tàm internè exhibiti, quàm in lacte cocti, & per clysterem injecti suspicienda est. E contrario theriaca, aquæ bezoarticæ, & tincturæ istiusmodi, vel alia alexipharmaca in peste & malignis febribus usurpata, quid hîc opitulari queant, non video, cum ut plurimum ex simplicibus acribus aromaticis constent, quæ acredinem particularum Mercurialium magis acuere, quàm obtundere, & ita periculum magis augere, quàm arcere, valent. Qui crystallum montanum inter venenorum Mercurialium antidota numerat, optimè facit, quia ille uti arsenico, ita etiam aliis venenis corrosivis & causticis resistit. Historiam ex Valeriolæ libr. 1. obs. 7. cardialgiæ à Mercurio sublimato hausto ortæ, & per crystallum, theriacam & buthyrum recentem interné in aquâ hordei aliquot vicibus sumpta, & externè per fomentum ex fol. hyosciami, absinthii &c. in vino rubro coctis constans, curatæ, refert Michael Ettmullerus. cap. 7. de Cardialg. p. m. 129.

Cornelius Stahlbartius centur. poster. chirurg. 26. commendat cretam cum aquâ rosarum optimè lotam, item terram sigillatam veram, quâ in ardore ventriculi nihil convenientius est. Nam non solùm acidum corrosivum absorbet, sed & pinguedine quadam tunnicis ventriculi adhæret, acremque humorem ibidem stabulantem obtundit. Et, inquit Adrianus Spigelius, in magnam mei admirationem observavi, ejusmodi ventriculi ardorem nullis aliis, sive externis, sive internis remediis æque, ac terrâ sigillatâ cum syrup. consolidæ mitigari, & aufferri posse.

Qui compositum remedium desiderant, possunt uti speciebus Diacretæ Minsichthi.

Similiter oculi cancri omne acidum absorbent. Unde si oculi cancri liquori, vel spiritui cuidam acido ammiscentur, tunc omnis aciditas ei adimitur.

Contra inflammationem ab igne & causticis factam internè & externè usurpatum maximè valet id, quod sequitur. ℞. luteum ovi â gallinâ nigrâ nati N. 1. cum eo, & farinâ secalinâ formentur placentulæ tres, quas in buthyro excocto (nostratibus Schmalz) frige usque dum duræ & brunneæ evadant, quibus exemptis, buthyrum liquatum adhuc calidum in vas aquâ plenum injice. Pinguedinem concretam exime, & cum aquâ rosarum cochleare tere, & misce.

Caput IV.

De Napello & Aconito.

INter atrocia venena non infimum locum obtinet Napellus, ex plantarum genere proveniens. Tota herba est perniciosa, sed radix ceteris partibus venenosior, adeò ut referant nonnulli Medici, eam solùm aliquamdiu in manu detentam perimere. Andreas Matthiolus tantam vim deteriam ei attribuit, quæ nullis antidotis vinci possit, nisi statim, & ab initio ei occurratur. Causticæ & inflammantis naturæ Napellum esse statuit Avicennas, eumque in quarto gradu calefacere, & siccare scribit, quod verum esse Napelli sapor, & ab eo excitata symptomata demonstrant. Unde Clar. D. Joh. Jacob Wepfferus in schol. ad cap. 11. tractat. de Cicut. aquat. Napellum calidum & acrem esse, radice leviculè apici linguæ admotâ, quemvis facile deprehendere posse affirmat. Quidam ad furcam damnatus Napelli radicem sumens, cujus rei historiam refert Andr. Matthiolus commentar. in Dioscorid. libr. 4. cap. 73. 17. piperis saporem ei inesse dicebat, & adeo ferventes cerebri commotiones ab ejus usu patiebatur, ut aquæ in caldario bullientis similes esse affirmaret. Sequebantur ejus sumptionem tumor corporis, ac si æger aquâ in-

tercute laboraret, turgentes oculi, livida facies, labia nigra, & alia aspectu horribilia. Joh. Jacob Wepfferus tract. loc. cit. in lupo Napello interempto, & dissecto intestini duodeni internam superficiem totam inflammatam, & anfractus ejus atrorubescentes invenit. Idem tempore pestis quosdam Napello pro vesicatorio usos fuisse testatur loc. cit. Galenus libr. 5. & 6. de Medicam. simplic. facult. ei vim septicam, attribuit. Quæ omnia Napelli causticam, & inflammatoriam naturam probant.

An tam validum venenum medicas virtutes obtineat, valdè dubitari posset.

Medici communiter Napellum nullo modo inter remedia tollerari posse, eumque totâ substantiâ venenum esse statuunt, quo ipso omnem medendi virtutem ei denegant, eumque veneno opponunt, quod solùm quantitate tale est.

Verùm nec ei suas virtutes medicas deesse, probat primùm authoritas Avicennæ, qui Napellum linitum & bibitum can. 2. cap. 503. delere alberas, quoddam cutanei morbi genus, quod alias Leucen, sive vitiliginem appellant, scribit. At ob hanc opinionem Avicennas â Nicolao Leoniceno de Plinii, & aliorum Medicorum erroribus p. 122. nec non Leonhardo Fuchsio paradox. medic. libr. 1. cap. 14. valdè perstringitur, quorum

posterior

posterior Avicennam non Principem Medicorum. ut alii, sed tyrannum & homicidam appellat, eosque pariter detestatur, qui ejus doctrinam sectantur. Nam quod Avicennas scripserit Napellum esse perniciosum venenum, moxque subdiderit, illud linitum & bibitum delere alberas, id Fuchsio contra omnem rationem esse videtur. Sed Avicennam â Fuchsii calumniâ liberare satagit Andr. Matthiolus loc. cit. qui Fuchsium immodestiæ, & quod in tam celebrem & antiquum scriptorem paulò acrius scripserit, accusat. Neque decere virum eruditum conviciis lacerare eos, qui multis ante seculis e vitâ decesserunt, nec amplius â calumniis se defendere possunt. Et sanè Matthiolum innocentis Avicennæ patrocinium justè suscepisse mecum sentient omnes, qui vanissimam illam opinionem, quâ hactenus statutum est, "Venenum & remedium non simul stare posse," dimittunt, quod quàm falsum sit, non solùm de Napello, sed etiam de aliis venenis testatur quotidiana experientia, cui, ut & authoritati Clarissimorum Virorum frivolis & inanibus ratiunculis non obloquendum, sed potius indagandum, & ostendendum est, quomodo fieri possit, ut res quæpiam sit & perniciosum venenum & præstans remedium, & sine dubio Avicennas, si vixisset, Fuchsio & sui similibus respondisset, se experientiâ habere Na-

pellum & atrox esse venenum, & contra alberas insigne remedium, ceu quoque idem Avicennas aliorum remediorum venenosorum fautor fuit, qui arsenicum in asthmate, casu, contusione, cantharides in hydrophobiâ &c. commendat. Quapropter pronunciatum, venenum & remedium non simul consistere" posse, limitandum est, & dicendum, rem quandam diversâ ratione & modo exhibitam posse esse remedium & venenum, atque cum Matthiolo pro Avicenna dico, confectionem ejus dictam Alberzacali exiguam admodum quantitatem Napelli recipere, quæ in potu sumpta non nocere possit ut venenum, quod ut vim suam exserat, certâ quantitate opus habet, & tamen juvare, ut remedium, quia Napelli qualitas acris & caustica causæ morbificæ, â quâ Alberas provenit, & quæ in veneno seu fermento putredinali & corruptivo, crassitiem & viscididatem humoribus & sanguini inducente, & præcipue cutem defœdante, consistit, planè est contraria, eique totis viribus resistit, quâ ratione etiam mercurialia remedia, colocinthidem, helleborum album, lepræ & elephantiasi mederi videmus. Præterea responderi potest, rem venenatam in diversis objectis diversas & contrarias etiam virtutes exserere posse, ceu quoque videmus ignem liquefacere ceram, qui lutum indurat. Ita venenum suam noxiam qualitatem in genere

nete nervoso, medicam verò in humoribus & massâ sanguineâ, ut mox dicetur, exercet, quod etiam Napellum præstare, similiter ostendit ejus virtus antifebrilis, & vesicatoria contra pestem modò notata.

De virtute antifebrili Napelli testatur curiosa observatio 223 Ephimer. Nat. Curiosor. Decur. 1. anni 3. D. D. Patersonii Hainii, in quâ enarrat in Ephimer. anni 2. observ. 41. Excellent. D. D. Bernhardi à Berniz se legisse, Napellum innoxiè fuisse sumptum. Item Kesmarkini civem fuisse, qui Carpathias montes frequentare, & inde radices Napelli afferre solebat, quas sin pulverem redactas drachmæ unius pondere in febribus tertianis & quartanis cum commodo ægrotis exhibuerit. Languisse quidem ex earum sumptione ægros, quod verò hic Vir non magnopere curaverit. Unde credit D. D. Hain Napellum montium Carpatiorum non adeò venenosum esse, ut est ille, qui in sylvâ Hyrciniâ crescit, cujus unum scrupulum interimere dicunt.

Hanc autem virtutem antifebrilem Napello inesse eo minus dubitandum est, quia etiam alia venena caustica hanc virtutem possident, ut arsenicum, Mercurius sublimatus, præcipitatus, helleborus albus, nicotiana, lapis Lazuli, & si centum essent caustica venena, tot essent antifebrilia remedia Rationem esse diximus, quia miasma febrile ab humo-

rum cruditate ſcaturiens, venenorum virtute cauſticâ vincitur, & domatur.

Rectè autem fecit hic Empiricus, ſeu Medicus, febricitantibus ſuis napellum porrigens, quod languorem â ſumpto Napello excitatum non magnifecerit. Nam certus fuit eum ſine periculo eſſe, & mox abiturum, atque novum non eſt, etiam ab aliorum venenorum uſu, ab initio moleſta ſymptomata, quæque rerum imperitis terrorem incutiunt, excitari. Quam gravia helleborus albus febricitantibus exhibitus, morbo nihilominus cedente, inferat, ſuo loco ex Olao Borrichio diximus. Similiter illi, qui contra hydrophobiam â Dominâ â Stange in Wagniz ſcarabæos ſumpſerant, ex inde ita male ſe habuerunt, ut mortem inſtare putaretur, quam tamen moleſtiam ſanitas conſecuta eſt, ut ex obſervatione Dom. D. Rocleri cap. 5. de Canthar. citatâ habemus. Non minora ſymptomata, ut oris & faucium inflammationes, vomitus horrendi, animi deliquia, fluxus dyſenterici, comitari ſolent uſum remediorum Mercurialium contra luem veneream, lepram &c. ſumptorum, in quibus morbis ægri ſanitatem in faſtidioſæ curationis ſolatium reportant. Tale etiam fuit remedium â Philippo Medico Alexandro Magno Macedoniæ Regi oblatum, quod venenoſum fuiſſe ex hiſtoriâ Q. Curtii libr. 3. cap. 6. colligi poteſt. Nam 1. Philip-

e hilippus se afferre remedium strenuum, id st validum, vehemens, qualia sunt venenata, atque eo se vim morbi levaturum, promiserat, 2. tertius dies expectandus erat, quia ad sufferendam validi remedii operationem vires requirebantur, quæ in Rege principio morbi erant nimis deboles, & exhibitionem validi remedii dissuadebant. 3. Amici & alii Medici astantes consilium Philippi, ut temerarium & periculosum improbaverant, uti etiam adhuc hodie fieret, si quis Principi vel Regi remedium vehemens, & forte exhibere vellet, ut alii Medici ostenso periculo contraniterentur, seu quia verè ita sentirent, seu quo sedulitate monendi suam fidem Principi approbarent, alienam labefactarent, atque, qui hominum aulicorum mos est, suam invidiam exsatiarent. 4. Ea quæ remedium epotum secuta sunt, vim & valorem remedii venenosi satis exprimebant. Nam postquam Parmenio Regi scripserat, ne salutem suam Philippo committeret, fidem ejus â Dario mille talentis, & spe nuptiarum sororis ejus corruptam fuisse, Rex admonitione ejus insuper habitâ nihilominus remedium intrepidus hausit. Ceterùm tanta vis medicamenti fuit, ut quæ secuta sunt, criminationem Parmenionis adjuverint. Interclusus spiritus (qualis est juxta Loccenii notam eorum, qui animam agunt) arctè meabat, quod verò Philippum non ad-

 modum

modum solicitum habuerat, qui probè norat hoc linquentis animi indicium non diu durarurum esse. Nam postquam medicamentum in venas se diffudit, animus pristinum vigorem, & corpus robur recuperavit. Augustus Thonnerus libr. 6. epistol. hoc remedium non sine ratione helleboratum fuisse conjecit. Nam de helleboro albo Medici scribunt, quod præfocet, & Curtius refert à sumpto remedio in Alexandro interclusum spiritum arctè measse, quod verò remedium in venas se diffundens, animo & corpori robur restituerit, id ellebori albi vim humorum & sanguinis resolutoriæ, de quâ deinceps dicetur, adscribi potest. Atque hic mos est fere omnium remediorum venenosorum & Napelli, uti modò diximus. Nam ab initio operantur ut venena, in ventriculo & intestinis affligendo nervosum genus, in fine verò, & postquam eorum virtus ad sanguinem pervenit, vitia ejus corrigendo, operantur, ut remedia, & quantas vires in partes solidas exercent eas corrodendo, irritando, inflammando, tantas etiam exercent in humores & massam sanguineam eorum malitiam expugnando, quasi utilitas cum noxâ certaret. Quippe particulæ acutæ, pungentes venenorum imprimis causticorum, quæ partes membranosas & nervosas corrodunt, irritant, vellicant, eædem valent etiam ad dissecandos & instar cunei findendos

dendos humores crassos, pituitosos, coagulatos, qui ejus motum circulatorium impedire solent. Quod etiam in Alexandro Magno factum fuisse, quis dubitet? Is enim postquam in gelidum amnem Cidnum corpus suum immisisset, omnes artus subitus rigor excepit, & suppresso ferè calido nativo, sanguini coagulatio inducta fuit, quod coagulum à forti resolvente, qualia multa venena sunt, removendum, & sanguini suus liber cursus restituendus erat. Adeò verum non est, venena interne sumpta sanguinem corrumpendo morbos creare, homines interficere, cum potius ea sanguinem ex deteriore statu in meliorem reducant, morbosque ritè usurpata non generent, sed tollant; & adhuc magis errant illi, qui sanguinem à venenis coagulari credunt, cum potius vim sanguinis resolutoriam venenis inesse ex omnibus eorum operationibus pateat.

Ceterùm non solùm pericula, sed etiam molestiæ ab usu venenorum provenire solitæ, si in moderatâ quantitate exhibeantur, sine dubio, si non planè declinari ad minimum mitigari possunt.

Ex Pharmac. Persicà Francisci Angeli à S. Joseph Carmelit. p. 17. compos. 38. de Napelli usu contra lepram sequens habeo ℞. mirobal. nigr. lepidi Ind. ā. ℥x. pip. long. ℥iß. napelli. alb. ℥iiß. contrita & cribrata adipe bovino pin-

pinguefiant, & melle excipiantur: dofis m. 1. Eſt Medicorum Indorum compoſitio, quæ ad lepram membra corrumpentem ſummopere confert, appellaturque Biſchi.

In notarum ſpecimine notatur m. denotare mebsqual, id eſt ſesquidrachmam. Napellum autem in curatione lepræ morbi imprimis in regionibus Orientalibus frequentis efficaciſſimum eſſe, probari poteſt, quod etiam alia cum Napello remedia cauſtica, ut elleborus albus, Mercurius ſublimatus, præcipitatus ad inhibendam fermentationem corruptivam veneni leproſi non infeliciter adhibeantur.

Pag. 319. compos. 1006. Magr - OUNRASEN

Electuarium elenii.

Linguâ Indicâ Nirvus appellatur, id eſt nova dies ſeu æquinoctium vernum.

℞. napelli Indici aridi, innoxii, vel antithor. m. iß. piper. m. 2. Zingiber. m. 2. ß. ſtaphiſagr. m. j. pirethr. m. j. mellis triplum omnium.

Pag. 358. 359 in notarum ſpecimine hæc habet author. N. 38. & 1006.

Biſch.

"Mercatores gentiles Indi vulgò (Ba"gnares) Luſitanicè, & (Gauri) Perſicè, Regi"am Perſidis Aſpahamum incolentes, radi"cem hujus plantæ, ſeu Napelli obſoniis com"miſcent, & condimentis, immò munuſculi

titulo

titulo, pluries illam mandendam præbent" post prandium, & fateor me non raro illam" adhibuisse ad utrumque usum; si enim con-" dimentis admoveatur, fragrantiam, & sapo-" rem gratum, &restaurativum confert, si verò" mandatur, oris odorem conciliat, ructus &" flatus dispescit, stomachum in instanti com-" ponit, & miram lætitiam, & sensuum quie-" tem per totum corpus quasi diffundere vi-" detur."

Illâ præcipue utuntur Indi Tattenses" quos vulgò (Diuli) vocant, ex regno Sindi" seu Indi fluvii, nec ab his valui quicquam a-" liud addiscere, nisi quod esset lethifera, si re-" cens & viridis manducetur, siccata verò om-" ninò innoxia & medicamentosa, quocirca" fortè antithoræ speciem esse subintuli; &Na-" pelli antidotum, quemadmodum animalcu-" lum illud simile muri, quod radices napelli" corrodens, & juxta illum assiduè spatians" præclarissimum alexiterium esse censent." Radices porrò Bisch omninò similes appa-" rent ossiculis, seu vertebris mothuæ piscis," levissimæ sunt, & candidæ, foraminibus &" carie undique (ut ita dicam) fermentatæ."

Licet autem non mihi satis constet, an ita sefrès habeat, & an in Indiâ Napelli radix viridis & recens sit lethifera, siccata vero innoxia, nullam tamen video rationem, cur Medici Indi solùm exsiccatam, innoxiam & medi-

medicamentosam esse censeant, & non etiam recentem & venenatam. Nam rei venenatæ qualitas (quod jam non semel dixi) non aufert ejus qualitatem medicamentosam, & qui civis Kesmarkini (cujus modò mentio facta est) curationem febricitantiũ suscepit, ægrotos suos radice napelli venenatâ, non verò innoxiâ restituit.

Joh. Renodæi verba, quibus Napellum, quia interficit & medetur inter alia & venenum, & medicamentum esse judicat, supra citavimus.

Externè Napellus pro vesicatorio in peste fuit usurpatus, uti jam ex Joh. Jacob Wepffero docuimus, similiter quomodo eo contra vitiliginem & lepram in unguentis usus fuerit Avicennas, & Indi adhuc utantur.

De Aconito, neque libri Medicorum, neque propria experientia quicquam, quod proferre possem, mihi suppeditant, nisi quod in Joh. Renodæi libr. 1. Instit. Pharmac. cap. 13. legerim, Aconitum pharmacum toxicum esse, tamen oculorum medicamentis levandi doloris causâ adjici, quæ virtus etiam aliis venenis, ut cicutæ, hyosciamo, mandragoræ, solano &c. familiaris est, quæ ob id etiam inter remedia ophthalmica referuntur. Si quis Aconitum etiam internè contra morbos exhibere, atque curiosus ejus vires experiri vellet, nullum dubium est, etiam illud unâ cum aliis venenis suas virtutes medicas ostensurum esse.

Galenus

Galenus libr. 6. simplic. medicam. Aconito pardalianches putrefaciendi vim attribuit, illudque lethale pronunciat, attamen ad putrefaciendas externas corporis partes, & circa sedem idoneum medicamentum esse affirmat. Unde concludo non solùm nocendi, sed etiam juvandi rationem aconito unâ cum aliis septicis remediis etiam si internè exhibeatur, eandem esse.

THeriacam Napelli & Aconiti antidotum esse exemplo canis, qui napellum sumens, uti supra citata D.D. Hainii observatio habet, theriacâ fuit servatus, probari posset. At Andræas Matthiolus comment. in Dioscorid. libr. 6. cap. 20. p. m. 993. & Avicennas contrarium statuunt. Ita autem Matthiolus: "Præmisso emetico, lac bubulum coctum & "buthyrum, largè cum vino sumptum &c. "vera esse napelli antidota. Si hæc non pro-"ficiant, nihil saneq; sperandum relinquitur, "quod theriaca & mithridatium in hujusce "veneni noxâ parum, aut nihil possint. Similem virtutem etiam oleo scorpionum suæ præparationis adscribit Matthiolus, illudque intus sumptum, & extus inunctum â tam sævo & exitiali veneno brevi admodum tempore liberare affirmat, quam sententiam alterâ veriorem esse ipsa ratio dictitat. Nam theriaca, mitridatium napelli vim causticam non intrin-

infringent, neque ejus acres particulas ventriculum & intestina inflammantes obtundent, quod verò multò felicius oleosa, & pinguia, nec non mucilaginosa præstabunt, quibus adjiciendum esse censeo crystallum montanum. Non tamen prorsus usum theriacæ contra napellum & aconitum sumptæ infructuosum, sed tanquam corroborans, & opiatum eam exhiberi posse judico.

Lapidem Bezoar commune venenorum alexipharmacum esse, constans est Medicorum opinio, atque eundem lapidem Napelli virus oppugnare testatur historia cujusdam latronis, cujus mentio fit apud Andr. Matthiolum Comment. in Dioscorid. libr. 4. cap. 73. Ille Napelli ʒj. & contra id grana 7. lapidis bezoar in albo meraco sumpserat, unde salvus evasit. Ego verò magis vino meraco, egregio nervosi generis confortativo, vel suæ robustæ naturæ, quàm tantillæ lapidis dosi hunc latrunculum suam salutem debuisse credo, & num hic lapis contra corrosivam venenorum facultatem aliquid possit, valdè ambigo.

Lapidem bezoar contra venena corrosiva necquicquam sumi, nec genuinum eorum alexiterium esse, testatur exemplo cujusdam coqui Ambros. Paræus libr. 20. cap. 36. Chirurg.

Reliqua hìc conferentia alibi notantur.

Caput

Caput V.

De Cantharidibus, Stellione, Scarabæis & similibus.

CAntharides insecti quoddam genus venenosas esse, in vulgus notum est. Ii enim, qui internè eas sumunt, ab ore ad vesicam usque omnia sibi erodi sentiunt, dextra præcordia inflammantur, urina ægrè, & subinde cum dolore & sanguine emittitur, strigmenta non secus ac in dysenteriâ alvo excernuntur. Fastidia ægrum premunt, qui animo deficit, obortâ vertigine concidit, & tandem moritur. Hæc omnia proveniunt â particulis cantharidum aculeatis, pungentibus, â quibus summa partium internarum, ut ventriculi, intestinorum, vesicæ erosio. D. D. Wepfferus tract. de Cicut. aquat. p. m. 306. eas igneis particulis Mercurii sublimati comparat. Unde fit, ut ferè omnes Medici cantharidum usum internum abominentur.

Hoc tamen non obstante reperiuntur Medici, qui cantharides in diversis morbis internè cum successu exhibuerunt.

Hieronymus Mercurialis contra epilepsiam sequente pulvere usus est, uti testatur libr. 2. de morb. pueror. cap. 5. in fine. ℞. sem. pœon. visc. quern. ā. ʒij. cardamom. ʒj. cantharid. præp. ℈ij. pulverentur omnia, &

L cum

cum melle exactè mixtis fiat bolus, cujus ℥ß vel ℥j. singulâ vice tribus horis ante cibum sumatur. In epilepsiâ ab urinæ suppressione Zacut. Lusitan. Prax. admirabil. observat. 35. libr.1. cum successu exhibuit, atque unâ calculum ex vesicâ exegit canthar. ℈j in oleo expr. amygdal. dulc.

Huc referri merentur ea, quæ de Stellione, cantharidum naturam æmulante referuntur, de quo vide Dan. Sennert. de venen. animal.

Hunc esse præsentissimum epilepsiæ remedium testatur Plinius libr. 30. cap. 10. & nihil eo utilius p. m. 1321. Id quod etiam de vermiculis cynosbatos candicantibus dicitur, quorum unum & alterum puerulis epilepticis datum in jusculo utilissimos esse judicat D D. Major, uti Nobiliss. D. D. Rosinus Lentilius Miscellan. Medic. part. 1. p. m. 41. 42.

Rationem reddit, & quidem meâ sententiâ non ineptè, quod loco vesicatorii in ventriculo ob caloris æqualitatem indolorifici bonam partem miasmatis epileptici inter tenuissimas bullas colligant, quæ bullæ deinde spontè rumpantur, sicut paroxismi quartanæ pulvere pyrio cum succo allii, & portiunculâ fermenti carpis apposito, declinantur, vel dolores ischiatici, arthritici, contusâ flammulæ plantan, & affectæ parti impositâ sopiuntur. Ex his vermiculis cantharides generari idem affirmat.

Exu-

Exuvias stellionum ad caducum tollendum â Theophrasto commendari eodem loco notatur.

Verùm pro usu interno cantharidum in epilepsiâ etiam alia argumenta produci possunt, & dici, caustica, vesicatoria, actia, exulcerantia, qualem herbam Lepedii esse inquit Dioscorides libr. 2. cap. 150. immo ipsas cantharides externè applicatas non semel epilepsias curasse, quarum causa in extremis partibus residebat, ceu inter alia firmat experientia Savanarolæ tract. 6. de ægrit. capit in fine, quâ se vidisse & curasse refert rusticum, qui ex causa particulari in brachio circa finem musculi versus manus incidit in epilepsiam, & adhibitis cantharidibus, & ligaturâ forti â paroxismorum sævitie liberatus fuit. Valdè igitur probabile est, caustica & cantharides etiam internè exhibita esse salutifera, si, quod sæpissimè fit, causa epilepsiæ in ventriculo, liene, vel primâ regione stabuletur, atque ea tàm potenter pituitam crassam, tenacem, nervosis ventriculi & lienis partibus impactam, atque acredine suâ inimicam incisura, attenuatura, vel serositates ibi peccantes resolutura esse, quàm hoc præstant externè applicata, quod ea etiam faciunt in morbis ischiaticis, arthriticis, in quib' serositas acris membranas articulorũ & ossis ischiadis pungens, vellicans maximos dolores parit, quæ verò per

cantharides & remedia caustica affectæ parti imposita, resolvitur.

Deinde novum non est in praxi medica, ut superveniens & succedens quartana febris epilepsiam tollat, atque hujus rei exempla ex Helmontio, Mayerne, Salmutho, & aliis possent adduci. ceu quoque aphorism. 70. sect. 7. Hippocratis testatur, quod probat epilepsiam ab eadem causa progigni posse, a qua quartana febris generatur, prout scilicet materia morbifica vel ad massam sanguineam, vel partes nervosas transfertur, & quia ea non vacat pro gignendis simul duobus morbis, fit ut accedente febre quartanâ desinat epilepsia, & vice versa. Unde concludi potest remedia contra febrem quartanam directa in extirpandâ epilepsiâ non minus efficacia esse, quàm sunt in tollendâ quartanâ, atque verisimile est consimilem causam morborum â consimilibus remediis oppugnari. Quia igitur in febribus quartanis, tertianis, caustica, vesicatoria, exulcerantia, sæpius profuere, uti experientia docet, id probat ea etiam similem effectum habitura esse, si in epilepsiâ usurpentur, & multò magis si internè sumantur.

Denique cantharidum usum internum in epilepsiâ probat, quia ea sæpe a redundante in cerebrum nimia serositate generatur, quod fit in ischuria, in qua obstructis meatibus urinariis superfluum & inutile serum non excerni

excerni poteſt, uti iterum infinita exempla probant, hæc verò redundans ſeroſitas quàm optimè per fortia diuretica, qualia ſunt cantharides, educi poteſt.

Ad lumborum dolorem ſtellio transmarinus capite ablato & pedibus, decoctus in vino cum papaveris nigri ſucco pondere denarii exhibetur a Plinio. Natur. Hiſtor. libr. 30. cap. 6.

Zacutus Luſitanus de Medic. Princip. hiſt. libr. 5. hiſtor. 117. dubio 67. p. m. 395. contra Amatum Luſitanum, Lacunam, Fuchſium, Langium, Mercurialem diſputat, & aſſerit cum Galeno libr. 3. ſimplic cap. 22. cantharides medicamentis diureticis commodè miſceri. Immò modicè ſumptas, quibusque oportet mixtas, non modò non offendere veſicam, ſed etiam renes expurgare, uti ipſe Galenus iterum libr. 4. cap. 18 docet.

Tincturam diureticam Thomas Willis parat ex apibus, cicadis, cantharidibus in tincturâ tartari infuſis, cujus doſis gutt. 10. 20. Joh. Dolæus.

In iſchuria ſeu urinæ ſuppreſione, & gonorrhæa virulenta cantharides internè citra noxam, immo cum fructu a multis exhiberi docet ſcholium ad obſervat. 133 anni 1. Ephimer. Nat. Curioſ. ſi ſumantur in pulvere vel infuſo. In ſcholio ad obſervationem 240. quandam mulierem iſchuriâ laborantem

cantharid. gr. 3. in lacte usam fuisse testatur Exc. D. D. Lucas Schrœckius.

Ischuriam desperatam pulvere cantharidum, & vesicæ cervi a Baltas. Timæo à Guldenklee curatam testatur author libr. 4. cap. 5. observ. 15. Confer exemplum ex Zacuto Lusitano suprà allatum. Guilielmus Ballon. consil. 52. libr. 1. præscripsit in suppressione urinæ a calculo sequens. ℞. decoct. rad. aperitiv. ℥iiij. syrup. de raphan. ℥j. lapid. judaic ʒj. cantharid. pulveris. gr. iiij. mithridat. ℈ß. m. f. potio.

In gonorrhæa virulenta, lotii suppressione, & calculo, Thomas Bartholinus cent. 5. histor. 82. tutissimum esse affirmat, si pulveris. cantharid. ℈j. in vini rhenani, vel spiritus vini ℥iij. vel ℥iiij. per aliquot dies infundatur, per chartam bibulam filtretur, dosis cochlear. 1. primo die, cochlear. 2. secundo, &c. in vini vel cerevisiæ cochlear. 6.

In gonorrhæa virulenta etiam hoc summopere confert. Rec. cantharid. ʒj. ol. terebinth ℈j. infunde per aliquot dies in spirit. vini ℥v. dosis ʒij. confer Steph. Blanckard. Chirurg. libr. 3. cap. 35.

Cantharides potenter urinam & menses cient, unde quædam scorta improba iis ad abigendum fœtum abutuntur Joh. Schrœder. Pharmac. libr. 5. Class. 4. §. 98. p. m. 340.

Ad secundinas educendas, & menses detrahen-

trahendos Hippocrates de natur. muliebr 19. v. 1, 2. potiones & subdititia ex cantharidib. quinque, avulsis alis, pedibus, capite paravit.

Cantharides calculum pellunt, sed monente Felice Platero de ventr. dolor. curat. p. m. 594. cautè sunt usurpandæ. Nam si paulo major esset calculus a fortiter impellente remedio intra ureterum meatus detruderetur, quos non transire valens dolores nephriticos augeret.

Electuarium lithontripticum Andreæ Galli Medici Tridentini descriptum extat in Joh. Craton. consil. med. 18 libr. 4. p. m. 133. & est tale. ℞. ciner. scorpion. ʒij. cantharid. abscissis alis & capitib. ʒj. sang. hirc. exsiccat. ℥ij. ciner. vitr. caulis non transplant. ciner. lepor. caud. tremul. cortic. ovor. è quibus pulli excluss. ā. ʒiij. lapid. judaic. fellis bovis, spongiæ, piper. dauc. carv. sem. alth gumm. arabic. sem. saxifrag. milii solis, seselios, carpobals. xylobals. spic. nard. capillor. vener. sem. 4. frigid. maj. ā. ℥j. pulverisata pulverisanda misce cum melle rosato f. electuarium. Dosis à ʒ ij. ad ʒ iij. manè & serò cum aqua decoctionis cicerum rubrorum.

Ad expulsionem lochiorum ab aliquibus magni æstimatur usus cantharidum, & multis encomiis celebratur, sive per os sumantur, sive instar fumigii. Verùm hoc remedium non probatur a Zacuto Lusitano Prax. histor. libr. 3, cap. 19. p. m. 515. 1.

Mercurialis docet Galenum ad mensium fluxum promovendum solis cantharidibus (quarum summam dosin grana 5 constituit) usum fuisse.

Hippocrates in libr. de morb. mulier. 19. 89. edition. Lindan. inquit Joh. Langius libr. 1. epistol. med. 47. ad proritandum mensium profluvium pessaria ex solo cantharidum corpore addito thure & myrrha conficere jussit: & ad excutiendos fœtus in utero emortuos, ac contra sterilitatem, hydropem, ex solo cantharidum ventre, ablatis capitibus, cruribus & alis, ac tribulis marinis potionem paravit. Ipse Langius in electuariis diureticis salutarem cantharidum ustorum effectum expertus est.

Ad asthma, ingruente hydrope excellens est tale. ℞. milleped. præp. ℈ß. canthar. gr. iiij. decoct allii ℥iiij. syrup Bizantin. ℥ij. m. d. pro una vice.

In Hydrope potio ex cantharid. nō. iij. detractis alis, capite, pedibus in tribus aquæ cyathis terito, præcipiente Hippocrate de vict. rat. in acut. cap. 66, quod ut extremum remedium in minuta dosi commendat D. Joh. Scultetus observat. 148. anni 5. & 6. Ephimer. Nat. Curios. Volui, inquit, Epiphanius" Ferdinandus histor. med. 38. p. m. 117. 2." devenire, maxime cum semel urina fuit sup-" pressa in casu hoc (hydropico) ad extremum" illud remedium, quod ponit Hippocrates"

libr. 4.

libr. 4 de rat. vict. & libr. de affect. intern. "
ad pulverem cantharidum ablatis alis & ca- "
pite ad ℥ß. in furno exsiccatis, & in vino ex- "
siccatis, & in vino exhibitis, sed quoniam "
melius habuit de suppressione urinæ, ideo "
non deveni. Nam ad hoc remedium tunc "
est conscendendum cum alia non prosunt "
remedia, & spes est in angusto, & tunc, in- "
quit Capivaccius, quod desperati ad vitam "
revocentur.

Die Spanische Mucken werden mit grossem Nutzen ohne Schaden und Nachtheil deß Krancken in der Wassersucht gebraucht. Joseph. Schmidt. Specul. Chirurg. libr. 4 p. 829.

Valescus de Taranta, uti refert Paschalius, medicamento ex cantharidibus multos anasarcâ & ascite laborantes restituit. Experientiam & authoritates confirmat ratio. Nam in hydrope, quem a renum vitio potissimum oriri, vult Helmontius, aberrantem lympham nihil magis in viam reducere potest, quàm diuretica, inter quæ potentissima sunt cantharides.

Verùm cantharidum usus in hydropis fine, & præsente jam pedis inflammatione a serosa acri materia periculosus est. Nam experientia constat cantharides tunc usurpatas serum magis acuisse, exasperasse, atque ad pedem crus, propulsum ulcus insanabile reddidisse. vide Zacutum.

Contra impotentiam a Felice Platero. observ. libr. 1. p.m. 239. sequens præscribitur ℞. sem. eruc. ℥ß. piper. ʒj. Zingiber. cinam. ã. ʒß. borrac, ʒiß. caudar. Stinci ʒß. cantharid. ablatis tenuioribus alis. nõ. 6. f. pulvis subtilissimus, cui adde sacchar. alb. ℥j. dosis ʒiß. cum lacte cubitum iturus sumat. Cum successu fuit usurpatum.

Zacutus Lusitanus de Medic. Princip. histor. libr. 2. histor 117. dub. 67. p.m. 396. se sæpissimè vidisse asserit plures, qui cantharides cum alis, pedibus & capite ad coitus illecebras devorarunt, pharmacis permixtas, quæ illarum vires obtundere possunt.

℞. borracis Venet. ʒij. sem. ling. avis. ʒj. bolet. Cervin. carn. scincor. ã. ʒß. piper. long. ϑj. corpor. cantharid. ol. cinnamom. ã. ϑß sacchar. albiss. in aq. radic. satyr. & anthos dissol. ℥vj. f. rotulæ. Mirabiliter venerem sopitam excitāt, & irritant. dosis cubitum ituro à 3. 4. 5. ad 6. Adrianus Minsichth. armament. medic. chymic. sect. 8.

Species diaveneris cantharides, moschum, ambram, ol. dest. macis recipientes ab eodem describuntur loc. cit. sect. 5.

Contra venenum canum rabidorum & inde natam hydrophobiam homini nõ. 1. 2. 3. 4. (animali in majore copia, vel cum pane, vel theriaca, vel spiritu vini) cantharidum data, non dysuriam, nec mictum sanguinis, sed solum

lum largius urinæ profluvium excitari refertur in Appendic. Ephimer. Nat. Curiof. ad òbferv. 133. anni. 1. à D. Davide Spilenbergio, qui hoc Ungarorum Ultratybiscanorum contra morsum canis rabidi alexipharmacum esse affirmat.

In observatione 302. anni 3. ex Avicennæ libr. 4. fen. tract. 4. ad hydrophobiam trochisci é cantharidibus laudantur: Dum ergo " minxerit sanguinem, tunc jam curabitur â " timore aquæ, verba sunt Avicennæ."

Zacutus Lusitanus de Medic. Princip. histor. libr. 5. histor. 2. quæst. 2. p. m. 796. 1. ex Plenii libr. 29. cap. 4. Rhasis libr. 20. division. cap. 2. Matthiol. in Præfat. ad libr. 6. Dioscoridis notat. cantharides contra canis rabidi & Salamandræ morsum potenter opitulari. Potentissimum erit sequens ℞ ciner. cancror. fluviat ʒß. pulver. rad. gentian. ℈j. nuc vomic. gr. 5. cantharid. præpar. gr. iij. decoct. allii ℥iij. syrup. limon. ℥j. m. pro una dosi sumendo, & sæpius reiterando.

Epiphanius Ferdinandus histor. 81. cap. 2. quæstion. 88. p m. 260. 261. ex Joh. Baptist. Portæ libr. 6. Phythogn. censet in Apulia oriri phalangii genus, cujus morsus sit perniciosissimus, & ibi oriri cantharides, quæ in potu datæ nō 3. vel 4. succurrunt morsibus tarantulæ, de quo inquit factam esse experientiam. Naturam enim nihil derelinquere voluisse sine pari in hoc mundi theàtro. In

In morbo maligno, pulverem cantharidum nō. x. ab Ungaris ultra fluvium Tibiscum innoxiè sumi, & solum sudorem vel urinam ab iis largiter provocari observatio 133. anni 1. ephimer. Nat. Curios. recenset.

Nec mirum talem effectum â cantharidibus internè sumptis præstari, cum etiam eorum usus externus in cataplasmatibus vesicatoriis contra febres malignas, & ipsam pestem sæpius felicissimè adhibeatur, dum particulæ cantharidum igneæ, acres, miasma pestilentiale corruptivum, lentum, & viscidum, quod in omnibus morbis contagiosis peccat, incidunt, consumunt & destruunt.

Cantharides faciunt, teste Galeno de medic. simplic. p. m. 82. ad aliquas antidotos, & ad aliqua caustica, sed venenosa esse dicuntur. Si igitur partem antidoti constituunt, sequitur iis virtutem alexipharmacam inesse.

Empiricus in Gallia pulverem habuit ex cantharidibus in urinæ retentione desperatâ, hydrope, arthritide præstantissimum ex relatione Michaelis Ettmulleri Schrœderus dilucid. de cantharid. qui credit sal urinosum volatile cantharidum sal acidum in arthritide peccans præcipitare, & in salsum volatile insipidum convertere. Et sanè cantharides in arthritide conferre argumentum est, quod etiam scarabæi similis cum cantharidibus naturæ animalcula æquè arthriticis prosint. Sca-

Scarabæorum minorum cœruleorum mense Junio è cavernulis suis prorepentium natura cum cantharidibus æqualis est, venenata, & incautè, ac in nimiâ quantitate sumpta hominem jugulans; & tamen illi contra arthritidem inserviunt.

Modum exhibendi docent Kenelm Digby part. 1. p. m. 121. & Theodor. Mayerne tract. 3. de arthritide. Hæc animalcula aceto acerrimo suffocantur, in furno exsiccantur, pulverisantur, & eorum grana 4. ad summum 8. vel in aquâ ononidis, saxifragiæ, vel in conservâ aliquâ sumuntur. Quoad effectum horis circiter duabus ab assumptione incipiunt irritare vesicam, excitant ingens mejendi desiderium cum stranguriâ, quæ symptomata durant utplurimum per xv. horas ad summum. Toto eo tempore excernitur cum urinâ mucus salsus, & instar plumbi gravis, quemadmodum ii egerere solent, qui lapidem habent in vesica. Interpolatis diebus, ut quarto, sexto, octavo, pro ratione virium exhibitio est repetenda ad 6. 8. 10. 12. aliquando 16. vices. Optimum est in arthritide remedium, & optimum tempus exhibendi est, quando humor est in motu & paroxismus arthriticus incipit, tunc enim hostis jam commoti facilis est exclusio. Lenientia sunt præmittenda, & postponenda, ut Cassia. Nam si cum specifico exhibentur, vires remedii enervantur

Quæ,

Quæ verba probè sunt notanda. Nam dum per leniens remedium veneni corrosiva virtus infringitur, simul etiam ejus vis medicatrix perit, quod etiam in aliorum venenorum præparatione & usu accidere in hoc tractatu non semel monuimus. Nam virtus venenata & medica eadem est, atque hoc tantùm discrimen inter eas existit, quod vis venenata in partes solidas & nervosas, eas corrodendo & irritando, medicatrix in humores, eorum malitiam & crassitiem corrigendo, & incidendo agat. Quia potenter urinam movent nunquam sunt exhibenda, ubi suspicio est majoris calculi.

Contra quoscunque dolores arthriticos, sive â causâ frigidâ, vel calidâ in manibus, pedibus, genu proveniant, etiam contra dolores ischiaticos confert sequens Dygbianum, part. 1. remed. expertor. p. m. 121. descriptum ℞. scarabæor. majal. exsiccat. pulverif. q. pl. in vas vitreum affunde spiritum salis ad eminentiam duorum vel trium digitorum. Ad extrahendam tincturam digere, spiritum salis tinctum effunde, & novum affunde, continuando ita ad sufficientem tincturæ extractionem, cavendo tamen ne spiritus salis magis, quàm opus est, insumatur. Ad fecum separationem filtra. Deinde ℞. salis tartar. ℥ij. in spiritum salis s. q. affunde, sensim, ne nimium effervescat, filtra, & cum tincturâ scarabæorum

orum misce, in leni calore digere, iterum filtra, & in vitro optimè clauso serva.

Primò sumantur hujus tincturæ tantum guttæ 2. vel 3. augendo dosin donec in mingendo ardor & dolor sentiatur. In aquâ mulsâ & cerevisiâ non ést sumendum hoc remedium. Post usum trium vel quatuor dierum sumatur antimonium diaphoreticum, sequente die pulver. gialap. ℈iß. cremor. tartar. ℈j. misce cum syrupo rosato solutivo, quod omnis generis humores calidos & frigidos dolorum authores expurgat.

Atque hæc methodus medendi in usu omnium venenorum & remediorum periculosorum est attendenda, scilicet, ut â minima dosi incipiendo ascendamus deinde ad paulò majorem. Ita enim sine periculo ægroti vires tentabimus, & quid ferre queant, quid ferre recusent, explorabimus.

Ad podagram & lithiasin arcanum, quod se â Germano quodam cum magnâ difficultate obtinuisse refert Petrus Borellus Gallus & Medicus Regius Castrensis centur. 4. observat. 73. ℞. Scarabæor. subcœrul. majal. qui in viis matutino tempore reperiuntur, ac statim, si manu tangantur, aquam gummosam emittunt, tanquàm invidiâ quadam naturæ, quapropter statim chartæ sunt excipiendæ, & exsiccandæ projectis pedibus, alis, capite, f. pulvis, qui cum garyophyllorum modico

in

in vino manè per tres dies sumatur, si sit necessarium, atque duæ sumptiones ad dolorem sedandum non sufficiant.

Hi scarabæi unctuosi â Germanis Schmalz-Kæfer nominantur, qui manibus impositi, eas pingui subflavoque liquore inficiunt. Ceterùm cantharidum naturam imitari, urinam & sanguinem pellere, canis rabidi morsum, & inde natam hydrophobiam egregiè expugnare, arthritidem vagam curare, etiam author est Wierus, v. Joh. Schrœder. Pharmac. libr. 5. Class 4. §. 114. Quam virtutem contra morsum canis rabidi scarabæis hisce inesse eo minus ambigendum est, quia etiam cantharides similis naturæ, & effectus animalcula idem contra dictos morbos præstare, modò suprà notavimus.

De scarabæorum virtute contra morsum â cane rabido observat. 302 Decur. 1. anni 3. D. Christoph. Rœsleri Ephim. Nat. Curios. enarrat, quod Domina â Stange in Wagnitz dederit duos vermes Majales sine capite duobus pueris â cane rabido demorsis, qui sese exinde malè habuere, ita ut mortem instare putaretur. Postquam autem sanguinem minxerunt, intra aliquot horas restituti sunt. Filiam ejus Dominam à Donnig in Elgat dedisse ancillæ, cui canes multa vulnera morsibus infixere cum magno commodo.

Hîc obiter etiam notabimus, omne ferè

insecti

insecti genus, ut lumbricos, millepedes, cantharides, scarabæos, cicadas, locustas, apes, formicas, pediculos, scorpiones, insignem virtutem diureticam obtinere, calculosis & arthriticis mederi.

In ischuriâ & urinâ provocandâ, quantum possint apes, quarum tres unâ vice sumptæ sufficiunt, testatur Theod. Mayerne Prax. l. 3. c. 19.

Quædam eorum etiam ad venerem irritandam inserviunt, ut cantharides, formicæ, quatenus eorum particulæ acres, sero communicatæ, & ad partes genitales delatæ, in iis coeundi desiderium excitant. Hisce insectis addendi sunt grylli, quorum vis eadem cum cantharidibus notata fuit experimento Scaligeri, ut ejus testatur exerc. 186. Eorum vis venenata, adurens caustica, simulque medica contra calculum, & urinæ difficultates notarunt Sigism. Schnizer, & Gregor Horstius in suâ epistol. medic. libr. 2. sect. 6. Ubi etiam nonnulla de balneatoris cujusdam veneficio adducuntur, qui phlebotomum, quo homines scarificaverat, gryllis infecerat.

Quidam rusticus Grunbergensis febrem tertianam annuam depulit gryllo aliquoties in cerevisiâ calidâ dissoluto, & epoto, uti habet observ. 127. Decur. 2. Ann. 2. Sam. Ledelii Ephimer.

Hoc modo iterum novo cantharidum, & earum naturam æmulantium aliorum inse-

ctorum exemplo, tùm quoque authoritatibus clarissimorum Medicorum, nec non rationibus sufficientissimè fuit comprobatum, venena in partem medicinæ venire posse, etiamsi internè sumenda sint; ulterius fuit ostensum, vim remediorum causticam non esse in iis timendam, nec, ut quidam clamitant, tanquam noxiam corrigendam, vel planè tollēdam, sed salutarem, & ad morbos curandos aptissimam, si modò non in quantitate excedatur, quæ quanta esse debeat, ex dictis liquet, ad quam observandam Fabricius Hildanus cap. 6. observ. 98. etiam eam ponit cautelam, ut cantharides nunquam pondere, sed numero præscribantur, adeò enim leves esse, ut quinquaginta earum vix drachmam unam ponderent. Deinde si subjectis & morbis convenientibus cantharides exhibeantur. Nam si cui ægroto massa sanguinea humoribus acribus scatet, ut scorbuticis, hypochondriacis nonnullis accidit, is certè cantharidum usum non sufferre potest. Ut ita infelix eventus, qui à cantharidum sumptione consequitur, & cujus exempla in authoribus Medicis annotata non desunt, potius abusui & præposteræ exhibitioni adscribendus sit.

Externus cantharidum usus hodie à paucis admodum Medicis impugnatur. Inter eos, qui hunc suspectum reddere conati sunt, est Lazarus Riverius, Henricus ab Heer, nec

omni-

omnino iis fidit in curatione pestis Matthias Unzerus tract. de Peste libr. 3. cap. 3.

Eorum argumenta multis refutare non est operæ pretium, cum hoc ab aliis factum sit, & quod dicitur cantharides etiam externè applicatas vesicæ infensàs esse, hactenus experientia refutavit, unicum saltem, & quod speciosum esse videtur, afferam, quo infertur, in malignis & peste solummodò ea esse usurpanda, quæ specificâ quadam proprietate veneno pestifero adversantur. At vesicantibus, quæ plerumque ex cantharidibus constant, tantùm abest, ut vis alexipharmarca iis insit, ut potius venenata & deleteria iis sit adscribenda. Hoc argumentum nos invertimus, & dicimus, quia cantharides peculiari & specificâ quadam proprietate veneno febrium malignarum, & pestis adversantur, ideò iis in dictis morbis quam maximè esse utendum: & non satis mirari licet Medicos in remediis virtutem causticam tanquam venenatam in curatione pestis & febrium malignarum formidare, cum ea ipsa sit ea qualitas quâ se ut alexipharmacum probet, dum remedia caustica, inter quæ etiam sunt cãtharides, quasi naturali inimicitiâ fermentũ putredinale pestis oppugnant, suis acribus & corrosivis particulis miasma ejus viscidum & lentum, & ob id aliorum corporibus cōmunicabile, contagiosum, consumunt, & destruunt, quem salutarem ef-

fectum non solùm in peste & febribus malignis, sed etiam aliis morbis contagiosis, ut lue venereâ, scabie malignâ, tineâ, leprâ ulceribus malignis &c præstare solent, quod verò faciunt non modo sympathetico, sed antipathetico, & quatenus unum venenum alteri adversatur, ceu quoque in tractatu nostro de Paradoxis medicis monuimus. Quapropter prudenter agunt, qui posthabitis inanibus rationibus ab usu earum rerum, quas ipsa experientia & felix successus nobis commendat, se non absterreri patiuntur, uti etiam ipsa praxis vesicatoria & in iis cantharides ad curationem pestis & febrium malignarum feliciter adhiberi docet, & rectè sentit Simon Pauli de febr. malign. Digress. qui vesicatoria in febribus malignis incidere & attenuare sanguinem viscosum & glutinosum, qui ex dissipatione partium serosarum, & calore â nimiâ fermentatione resultat, scribit.

Ad anthraces pestiferos occidendos Joh. Langius libr 3. epistol. cap. 11. unguentum, quod ex sale ammoniaco, cantharidibus, & Mercurio sublimato constat, commendat.

Idem Langius libr. 1. epistol. 47. p. m. 110. cantharides externè applicatas suâ virtute causticâ lichenes, psoras, lepras, duros, atque callosos pedum & digitorum clavos extirpare affirmat.

Verum utplurimum cantharides externè

in cataplasmatibus applicantur, ubi ſeroſitas nimia peccat, ut in catarrhis, dolore capitis, dentium, iſchiadis, articulorum, tunc enim in reſolvendâ materiâ ſeroſâ, â eaque â parte affectâ revellendâ ſemper utiliſſimam operam navarunt.

Formulas remediorum veſicatoriorum, quæ ſuam operationem utplurimum cantharidibus debent, hîc non proponemus, quia earum ingens copia ab aliis authoribus præſcripta eſt, tantùm hîc cum nonnullis Medicis monebimus, melius eſſe in veſicatoriorum remediorum compoſitione omittere pinguia & oleoſa, quia hæc veſicantium operationem remorantur.

Contra cantharidum vel imprudenter, vel malitioſè exhibitorum & applicatorum virus inſerviunt oleum olivarum, oleum expreſſum amygdalarum dulc. Andreas Matthiolus præ reliquis oleum papaveris laudat. Sunt præterea buthyrum recens, cremor ptiſanæ, albumen ovi cum aquâ roſarum conquaſſatum, mucilago ſem. pſyllii, cydoniorum, radix althææ, & ejus ſuccus, emulſio ſem. 4. frigid. maj. cum aquâ roſar. extracta, tragacanthum, liquiritia, & trochiſci ejus, nec non decoctum pro potu.

Ex his & talibus poſſunt etiam præparari clyſteres, item injectiones per ſiphonem in urethram.

Caput VI.

De purgantibus in genere.

QUia purgantia fortia, uti Euphorbium Elaterium, Esula, Colocynthis, Helleborus albus &c. ob suam effrænem purgandi vim inter venena vulgò referri solent, atque naturæ sunt acris, inflammantis, ad causticam qualitatem accedentis, & alia cum venenis communia habent, atque eapropter non minus quàm ipsa venena â quampluri-mis Medicis formidantur, ideò eorum consideratio non immeritò doctrinæ de venenis causticis annectitur, & primò quidem dicendum est quomodo ea vim suam purgantem, & quandoque hominibus exitialem exserant, deinde an in remediorum loco haberi, & in quibus morbis exhiberi possint, referendum est.

Communiter statuitur purgantia ad massam sanguinis pervenire, ibique humorum commotionem & fermentationem excitare, quâ excitatâ humores noxii ab utilibus secernantur. Et venena nimium purgantia Thomas Willisius libr. de febrib. cap. 12. p. m. 219. & purgatione deleteriâ hominem occidentia, id præstare sanguinem fundendo, ejusque serositates nimiùm præcipitando, statuit. Ego verò quam sententiam de venenornm aliorum

aliorum operandi modo habui, eandem & de purgantium modo habeo, & dico purgantia primariò partes ſolidas, & imprimis ventriculum ac inteſtina afficere, & ſecundariò tantùm humores & maſſam ſanguineam turbare. Ubi ante omnia notandum eſt, has corporis partes membranâ interiore inveſtiri, quæ innumeris glandulis eſt referta. Hæ glandulæ id officium naturæ præſtant, ut continuè mucoſam materiam pro lubricitatione, humectatione, ad commodiorem ciborum & fecum per ventriculum & inteſtina promotionem & excretionem generent. Notandum præterea eſt, omnia purgantia, & imprimis vehementia & venenoſa, inſtructa eſſe particulis acutis, acribus, pungentibus, atque ob id ad irritandum aptis. Si igitur purgantia in corpus ſumuntur, & calore ventriculi & inteſtinorum actuantur, tunc acres, & acutæ purgantium particulæ fibrillas dictarum glandularum inteſtinalium pungunt, irritant, quæ irritatæ ſpasmodicè ſe contrahunt, contractæ ſerum in iis contentum, non ſecus ac manu compreſsâ ſpongiam aquâ madidam exprimimus, emulgent, quo ex vicinâ parte evacuato ſtatim è remotiore loco accurrit aliud itidem evacuandum, cui iterum aliud ſuccedit, & ita purgans in ventriculo & inteſtinis exiſtens è toto corpore, & remotiſſimis ejus partibus humores, non aliter, ac etiam dolores,

partium vulnerationes facere solent, ad se trahere valet. Atque hanc purgandi virtutem in purgantibus unice dependere ab acribus eorum particulis exemplo Mercurii dulcificati, & præcipitati demonstrari potest. Nam Mercurius sublimatus, qui nihil aliud est, quàm Mercurius vivus cum sale acido sui solventis conjunctus, etiam ad pauca grana exhibitus, validissimum est purgans, sin verò adjectione novi Mercurii vivi & sublimatione cum eo institutâ, particulæ acidæ Mercurii sublimati obruuntur, sublimatus suam virtutem corrosivam deponit, & dulcescit, simulque etiam suam vim drasticam amittit, immò quo dulcior redditur, eò segnior ad purgandum fit. Idem etiam in Mercurio præcipitato, qui in minimâ quantitate validè sursum & deorsum purgat, atque itidem ex Mercurio vivo, & sale acido componitur, observatur. Is si per crebras lotiones cum aqua communi, vel rosarum, suo sale acido privatur, simul etiam suam virtutem purgantem perdit.

Eadem agendi ratio etiam in aliis rebus, ut apophlegmatizantibus, deprehenditur, quæ gustata, vel in os sumpta sua acredine glandulas in ore & isthmo faucium constitutas graviter feriunt, & salivam movent, uti in nicotiana masticata, & fumigata, pyrethro, semine sinapi, cernitur, ita fumus, raphanus rusti-

rusticanus odoratus, cæpæ, allia], & alia, dum particulis suis acribus glandulas lachrymales in oculorum canthis positas irritant, eas ad profundendas serositates cogunt, & lachrimas eliciunt. Hæc omnia, ut & emetica remedia non ad massam sanguineam perveniunt, multò minùs eam afficiunt, & tamen sæpius magnam humorum copiam per vomitum excernunt, dum particulæ emetici remedii acres, & stomacho molestæ ejus fibrillas nervosas ad evomendum provocant, atque inter purgantia & emetica nullum aliud est discrimen, quàm ut hæc ventriculum, ita illa intestina, ejusque glandulas ad expurgandum irritant.

Immeritò igitur Dan. Sennertus eos, qui purgantia in ventriculum ingesta è toto illuc vitiosos humores allicere statuunt, falsitatis arguit, atque ipse falsæ opinionis author est, dum credit, purgantia aliquid sui in corpus transfundere, a quo humorum commotio, & fermentatio exoriatur, ad quam lacessitâ expultrice cum purgante humores in alvum præcipites agente, sequatur excretio & expurgatio. Etenim non est opus, ut pharmacum ad sanguinem perveniat, atque ad purgationem commovendam sufficit illa irritatio, atque vellicatio partium glandulosarum intestinalium, quam acredo purgantis intulit. Neque Willisius, neque Sennertus, & alii

docuerunt, & docere non poterant, quomodo pharmacum purgans in massa sanguinea eam fūdat, serum ejus præcipitet, humores inutiles ab utilibus segreget, & ad intestina propellat.

Huic nostræ opinioni confirmandæ inservire poterit experimentum a meipso, & fortè etiam ab aliis factum. Cuidam enim amico pharmacum purgans forte flagitanti præscripsi magister. gialap. ℈j. in spirit. anis. ℥ij. dissoluti, adjecto ad acrimoniam fauces adurentem, quæ aliâs pharmaco hoc utentibus molesta esse solet, demulcendam syrup. è succ. violar. ℥ij. Illud pharmacum sumentem validè exercuit, citra tamen molestiam, tormina, aut virium jacturam. Neque mirum erat tàm validè purgasse. Nam magisteria purgantium in spiritu vini soluta, & sumpta, duplo plus operantur, quàm in formâ pilularum, vel aliâ solidâ, quia spiritus vini verum est magisteriorum solvens, vel (ut Chymici loquuntur) menstruum, in quo vires purgātis magisterii undiquaque dilatatæ, & reclusæ, eo melius etiam suam virtutem purgandi exserere possunt. Quare ad præcavendam hypercatharsin jussi, ut amicus sumeret lac bubulum modò e vaccâ emulctum, quo sumpto in momento purgatio fuit sufflaminata. Si quis a Chymico hujus rei rationem exquireret, diceret a lacte sumpto factam fuisse præcipitationem magisterii, quod non

non negari poteſt, interim tamen omnes etiam hoc mihi concedere coguntur, hanc magiſterii præcipitationem, & acrium ejus particularum edulcorationem a lacte ſumpto ſubſecutam, nullibi commodius quàm in ventriculi & inteſtinorum cavitate, fieri potuiſſe. Neque purgatio per lac tàm, citò ſiſti potuiſſet, ſi actio purgatoria in maſsâ ſanguineâ, & non in inteſtinis exerceretur. Tunc enim neceſſe eſſet, ut lacteæ particulæ ad maſſam ſanguineam pervenirent, ibique cum acribus purgantis commiſcerentur, quod intra breve temporis ſpacium non fieri poſſet.

Hiſce rationibus addi poteſt, vomitus, purgationes a pharmacis excitatas, iisque ſupervenientes ſingultus, convulſiones, potius indicare nervoſum genus eſſe affectum, quàm maſſam ſanguineam corruptam & inquinatam: nec non, a purgante deleterio emortui hominis vel animalis cadaver diſſectum nulla ſanguinis & humorum vitia, ſed inteſtinorum & ventriculi inflammationes, & corroſiones oſtendere, ut etiam Wepfferus tract. de Cicut. aquat. de magiſt. gialappæ obſervavit.

Ceterùm rectè docet Galenus libr. 2. de victus rat. in morb. acut. comment. 2. text. 12. purgantia noſtræ naturæ eſſe contraria, immò lethalia & deleteria, & ita venenata; hoc tamen non obſtante ea ad humores noxios expurgandos uſurpari poſſe, & inter ve-

nenum

nenum & purgans nullum aliud est discrimẽ, nisi quod illud vehementius naturam nostram adoriatur, quàm hoc. Iis tamen nihilominus ad morbos curandos utimur, si venenis, quanto magis purgantibus. Nam licet purgantia per se sint venenosa, noxia, naturæ inimica, per accidens tamen sunt bona, naturæ amica, & dum infensa sua qualitate naturæ vim inferunt, noxios humores expurgant, quod non est novum in medicina. Sic si saburra biliosa ventriculum infarcit, emetica cum successu propinantur, quæ dum sua qualitate contraria ventriculo vim inferunt, eumque ad vomitum excitant, simul eum suo onere, quo premebatur, liberant. Hoc etiam in aliis remediis fieri solet; ita cantharides licet venenatæ sint, atque cutem exulcerent, nihilominus in emplastris vesicatoriis inserviunt resolvendis, & revellendis serositatibus, quibus affectæ partes obsidentur. Nam in physicis & medicina concessum est facere mala, ut inde eveniant bona, quod verò in moralibus & Theologia non est permissum.

Quapropter non est audiendus Helmontius, quando tit. potest. medicam. purgant. parag. 33. usum purgantium Medicis dissuadere conatur, dicendo, virus in iis laterei, & cum venena sint, nos potius, quàm morbũ adoriri. Nam hoc non est semper verum.

rum. Si enim purgantibus ſobriè utamur, ſi in convenientibus morbis, doſi, juſto tempore ea exhibeamus, tunc non virus, ſed ſaluberrima medicina in iis, ut etiam in aliis venenis latet, & ipſam cauſam morbi cordatè aggrediuntur, & eliminant, nullo interim notabili malo corpori ægrotantis illato.

Plura argumenta pro aſſerendo purgantium uſu non afferemus, quia hoc jam ab aliis factum eſt, & hodie vix unus & alter Medicorum eſt, qui horum utilitatem in dubium vocet. Hoc tantum magis controverſum eſt, an purgantium vehementiorum, & ad venenorum claſſem comuniter relatorum, ut euphorbii, elaterii, eſulæ, hellebori, colocinthidis, uſus inter remedia tolerandus ſit, atque illud eſt, quod hac vice diſcutiendum nobis propoſuimus.

Caput VII.

De Euphorbio.

EUphorbium eſt ſuccus ex ſauciata arbore Lybica ejuſdem nominis fluens concretus, facultatis acerrimæ, inflammantis in ſumo gradu calidæ, remedium propter ſuam vehementiam & virulentiam ab omnibus ferè Medicis rejectum. Acerrimè in ejus uſum invehuntur Dan. Ludovici Pharmac. mod. diſſert. 1. de Purgant. vegetab. p. m. 146. Medicum

"dicum providum & conscientiæ sum, inquit, "in tanto tutiorum proventu hac tempestate "non decere violentissima illa, semivirulen- "ta, viscerum tonum frustra tandem perver- "tentia, crudioribus metallis & mineralibus "nequiora verb. gr. Euphorbium etiam extra- "ctione, vel acidorum succorum aut spirituum "illinitione quadantenus coercitum, cum ma- "lignitatem (nisi corrosivorum abstractione, "aliisque modis invertatur) vix aut rarò exu- at. Et Fridericus Hoffmannus Clav. Schrœ- der. Pharmac. libr. 2. cap. 73. §. 220. Pillulæ "de Esulâ Fernelii, inquit, & de Euphorbio "Quercetani dictæ, dignæ sunt, quæ ob vim "illarum deleteriam, colliquativam, & causti- "cam penitus ex foro medico, & pharmaceu- "tico in exilium proscribantur.

Verùm hæc censura mihi nimis severa esse videtur, atque iterum admonendum esse, id quod jam cap. de Arsenico, Mercurio sublimato & præcipitato factum est, censeo, vim causticam in remediis non semper esse formidandam, sed quandoque ad pertinacissimos affectus curandos summè expetendam. Nam si pituita crassa, coagulata est eliquanda, nil melius hoc perficient, quàm remedia caustica, si ea è longinquis partibus ad intestina per trahenda, & expurganda, opus erit drasticis valentioribus, qualia sunt euphorbium, colocynthis &c. Nam debilia ut gialapa, agaricum,

us, senna, rhabarbarum, non sufficient huic officio præstando, & in curatione morborum semper nodo duro durus cuneus est quærendus id est, inter morbum & remedium semper debet esse proportio. Ut ita valde absurdum sit, in pertinaci morbo validum remedium requirere, & deinde illud tanquàm venenosum non admittere.

Quapropter non peccant Medici, qui Euphorbium, licet forte & vehemens remedium in nonnullis morbis fortibus commendant.

Ex Euphorbio, ut Quercetanus Pharmac. Dogmatic. libr. 1. cap. 14. p. m. 123. 1 parantur excellentissima remedia, si artis industriâ corrigantur, tum purgantia, tùm sudorifera adversus febres quartanas, & similes affectus contumaces & indomitos, & contra ipsam pestem, ut multi hinc Medici Viri gravissimi & doctissimi, postquam ejus vires certâ experientiâ comprobassent, idem ad usum medicum vocandum censerent.

Euphorbium, pyrethrum, piper album; licet sint excessivè calida, illorum tamen usus in passionibus colicis, & aliis extremis cruciatibus frequens est. Idem loc. cit.

In apoplexiâ, comate, caro, paralysi, Euphorbium præsens est remedium. Guernerus Rollfinck. tract. de Purgant vegetab. sect. 4. artic. 3. cap. 4. Illud etiam contra apoplexiam commendat de le Boe Sylvius.

Contra

Contra morbum gallicum & scabiem Guerner. Rollfinck. tractat. de purgant. sect. 4. artic. 1. cap. 8.

Georg. Wirth Ungariæ & Bohemiæ Regis Medicus, uti Joh. Langius Epistol. libr. 3. cap. 6. Euphorbio ad pestem, febrem quartanam, dolores colicos, cachexias, hydropises usus est. Ejusdem pulvis constat ex Euphorbii part. 1, mastichis part. 2, croci dimidiâ & sacchari albi q. s. ad pondus omnium. dosis ℨj. in aquâ scabios. & carduibened. Valet contra pestem. Vel

℞. Zedoar. euphorb. corallin. tormentill. dictamn. vulgar. terr. sigill. boli armen. corall. rubr. alb. spic. nard. mastich. herb. garyophyll. centaur. minor. sandal. rubr. ossis de corde Cerv. camphor. singulorum partes æquales. f. pulvis alexipharmacus, cujus dosis ℨj. in aquâ acetosæ, vel decocto acetosæ cum vino.

Alexius Pedemontanus libr. de arcan. pulverem contra pestem describit ex mastich. ℥ij. euphorb. ℥j. spic. nard. ℥v. misce. Dosis ℨß. ℈ij. vel ultra.

℞. Euphorb. ad modum Quercetan. præp. ℥j. extract. nuc. vomic. extr. croc. orient. ā. ℨij. extr. rad. angelic. extr. tormentill. ā. ℥iß. extr. theriac. ℥ij. confect. alkerm. confect. de hyacinth. ā. ℥j. essent. corall. ℨiß. terr. sigillat. q. s. f. pilulæ. dosis ℨß. Qui peste correpti, utantur

utantur iis manè ſuperbibendo aq. card. bened. ℥ij. & ſtragulis tecti, vel in hypocauſto ſudent. Ad venenum â centro ad circumferentiam provocandum, admirandum eſt remedium. Joh. Quercetan. Pharmac. Dogmat. libr. 1. cap. 14.

Modus præparandi Euphorbii Quercetano uſitatus fit per ſuccum limonum, aut granatorum acidorum, ita enim credit omnem exſuperantem calorem & venenatam qualitatem tolli.

Alium modum præparandi exhibent Auguſtani, qui fit per oleum expreſſum amygdal. dulc. gummi tragacanth, quale etiam eſt conſilium Serapionis, uti Rollfinccius loc. cit. notat, vel alia, quæ venenorum acrimoniæ reſiſtunt, & quorum jam in prioribus capitibus facta fuit mentio.

Quare præter rationem hunc Euphorbii præparandi modum rejicit Joh. Zwelfferus Animadv. in Pharmac. Auguſt. quando eum fucatum & palliativum vocat, qui nihil aliud præſtet, quàm quod oleum amygdal. dulc. lentore ſuo quadantenus prohibeat, ne Euphorbium vires ſuas exſerere poſſit. Quomodo enim particulæ acres, corroſivæ Euphorbii, quæ effrœnis operationis cauſa ſunt, melius obtundi poſſunt, id quod in correctione quæritur, quàm viſcidis & unctuoſis, & aliis, quæ aliâs contra venenum Euphorbii ſumptum

ptum, tanquam ejus antidota exhiberi solent?

Nihilominus credo Quercetani præparationem ad usum medicum maximè convenire, non quia per eam vis caustica & venenata tollitur, ita enim medicamenti virtus, quæ in virtute causticâ persistit, periret, verùm quia tàm succus acidus, quàm Euphorbium similem habent naturam, & ambo incidendi, crassos humores attenuandi, lympham coagulatam resolvendi, & fermento putredinali venenato resistendi virtute prædita sunt.

Quanquam in iis affectibus, uti soporosis, apoplecticis, paralyticis, ubi acre, irritans remedium requiritur, etiam euphorbio crudo & incorrecto tuto uti possimus. Nam repugnat rationi morbum magnum exigere remedium validum, & deinde illud per præparationem debilitare, & ad medendum ineptum reddere.

Pilulas suas de Euphorbio mirabiles contra omnis generis febres chronicas intermittentes, atque quartanas, necnon contra omnes cacTexias, hydropes, paralyses, & dolores colicos præscribit Quercetanus loco cit. in hunc modum. ℞. Euphorb. præpar. ℥j. spic. nard. mastich. ā. ʒvj. opopan. sagapen. præpar. bdellii ā. ℥ß. agaric. trohisc. alhand. trochisc. ā. ʒ iij. syrup. viol. aciduli, & tincti colore purpureo q. s. f. massa pilularum. dosis ℈j. ad ʒß. Hi enim omnes morbi dependent à cru-

à cruditate humorum, lymphâ coagulatâ, crassâ, tenaci, partibus impactâ, ad quam corrigendam, resolvendam, & attenuandam euphorbium, & reliqua gummata, virtute suâ causticâ quàm maximè prosunt.

Eandem ob causam Euphorbium inservit contra arthriticos. & ischiaticos dolores, ut ℞. turpeth. myrobal. chebul. hermodact. colocynth. euphorb. agaric. sarcocoll. castor. sagapen. opopanac. bdell. ammoniac. ā. ʒj. croc. squinanth. mastich. sal. gemm. sem. anis. apii, cicut. ā. ʒß. cum succo fœniculi f. massa pilul. dosis à ℈j. ad ʒj.

Pilulæ Serapionis ad paralysin â Guernero Rollfinccio tract. de purgant. veget. sect. 13. artic. 1. cap. 5. describuntur in hunc modum. ℞. gumm. ammon. bdell. serapin. aloes, castor. semin. harmel. ā. ʒiiij. euphorb. ʒij. colocynth. ʒvj. cum succo porri f. pilulæ.

In dispensatorio Augustano prostant pilulæ de Euphorbio Mesue apoplecticis, paralyticis, hydropicis commendatæ.

Ego sæpissimè usus sum pilulis de" Euphorbio, quæ in similibus casibus paraly-" ticis semper salutiferæ fuerunt, eas verò lau-" dat Avicenna 3. Can. de curation. Apoplex." & Paralys. Dixit enim tàm in uno, quàm al-" tero capite, pilulas de Euphorbio ceteris a-" liis (paralyticis) meliores esse. Porrò educunt" materiam pituitosam à nervis & aliis lon-" ginquis

"ginquis partibus, quæ tantò securius exhi-
"beri possunt, quantò jam inveteratus mor-
"bus est. Ex Nicol. Massâ Joh. Schenck. centur. 7. observ. 20.

Ingreditur etiam Euphorbium cum Esulâ pilulas fœtidas maj. Mesue (quarum structuram admirabilem & magnæ expectationis nominat Rollfinck. loc. cit.) pro elephantiasi, colicâ, articularibus morbis, lue venereâ &c. curandis. Item pilulas de Hermodact. maj. Mesue. Pilulas hydroticas officin. Pilulas de Nitro Alexandri Tralliani, quas Manardus libr. 13. epist. 6. uti Augustani referunt, in epilepsiâ mirificè commendat, quæ itidem in morbo gallico, ischiatico, articulari, capitis & cerebri pertinacibus morbis usu celebres.

Ingreditur porrò Euphorbium Diacastorium Nicolai, vide Weckeri libr. 2. Antidot. special. de Electuar. sect. 21. Nec non Electuarium Pestilentiale Basiliense, Hieram composit. Mesue, Hieram Hermetis cum Dragunculo Mesue, Plancam Nicolai, Hieram Ruffi ex Nicolao, Antimorum Nicolai, Electuarium contra dolorem colicum Arnoldi Villanovani, Philonii Tharsensis, Antidotum ex Galeno, ex Opiatis Philonium majus Nicolai Mirepsi, Philonium Persicum. Nam Euphorbium â Veteribus antidotum opii esse fuit creditum. Neque id omninò præ-
ter

ter rationem. Nam Euphorbium ſenſus torpidos excitat, quos opium torpidos reddit. Diaolibanum Nicolai, Theriacam ex Lilio Pauli, ab Armeno compoſit. Adrianum Nicolai, Opiatam Antonii Chelmetei, Antidotum Esdræ, quod ultimum electuarium licet opium, euphorbium, ſemen hyoſciami cruda ingrediantur, tamen illi admirandos & incredibiles effectus attribuunt Ætius tetr. 4. ſem. 1. cap. 101. 107. 111. & imprimis contra venena lethalia prodeſſe affirmant Paulus, Actuarius, Aetius. Verùm ſi quis hodie iſtiusmodi remedium ægrotis ſuis præſcriberet, quis non crederet eum inſanire? id quod ex Joh. Quercetan. verbis, qnibus in veterum compoſitiones debacchatur colligi poteſt. Ita autem ille Tetrad. graviſſ. capitis affect. cap. 31. p. m. 392. At qui accuratius, & ſaniore" judicio perlegent, & excutient, ex quibus" rebus componâtur, & quàm confuſa omnia," ac promiſcuè, & citra rationem inſerta ſint," nec non quàm parùm judicioſè opium," mandragoram, papavera, hyoſciamum, hel-" leboros, colocynthidem, euphorbium, ſul-" phur, & id genus alia, nullâ præparatione" condita veteres intruſerint, æquius iſta o-" mnia rideant, ni planè ſint bruti, aut cœcu-" tiant, quàm compoſitionem uſumque e-" arum laudent, ac probent. At an veteres Medici inſanierint, qui talibus contra morbos uſi

usi sunt, an non potius insaniant illi, qui contra experientiam ob præconceptam saltem opinionem talia rejiciant, prudentiores judicent. Ego quidem istiusmodi pharmacis non omnibus usus fui, non quia vana de iis judicia magni æstimo, sed quia hactenus defuit occasio, illud tamen interim, donec Deus vel fortuna mihi magis faverit, credo, injuriam fieri veteribus Medicis ab iis, qui vel eorum experimenta immeritò in dubium vocant, vel ea solis rationibus expugnare conantur. Et ut concedam nostro seculo, sua præparata præ antiquis remediis ad usum tutiora esse, neque tamen hoc negari potest, nostris præparatis per præparationem tantùm de effectu medico fuisse ademptum, quantum de venenositate ademptum fuit, & venenosa cruda, uti majorem noxam in abusu, ita etiam majorem effectum medicum in usu exserere.

Licet autem Euphorbium etiam internè tutò, sive sit crudum, sive præparatum, sumi possit, summâ tamen cautione opus est in eo exhibendo. Et primò in convenientibus, & modò recensitis morbis est præscribendum, deinde robustis, viribus constantibus, non verò biliosis, tabidis, & acriore sanguine præditis; deinde in modicâ quantitate euphorbio utendum, ita enim, ut reliqua venena, non corpus lædet, sed causam morbificam aggredietur, & non veneni, sed remedii officio fungetur.

Dosis

Dosis Euphorbii præprimis crudi intra grana subsistit, minor, si, sudorem provocandi animus est, ut in febribus malignis, intermittibus, peste, major ad purgationem concitandam. Non tamen semiscrupulum transcendere debemus. Veterum nonnullos ad drachmam exhibuisse scribunt verùm quis horum exemplum imitaretur. Quidam circulator Patavii hydropico Euphorbii drachmam exhibuerat, inde incredibilis stomachi subversio, & intestinorum ardor sequebatur, ut æger cum morte descenderet in duellum, â quâ victus, miseram animam exhalavit.

Externum usum Euphorbii nemo Medicorum & Chirurgorum in dubium vocat, qui eo ad cariem ossium, & ea desquamanda utuntur. Nam remedium acre eorum corruptioni potenter resistit.

Lenimentum calefactorium in hemicraniâ utilissimum ita præparatur. ℞. euphorb. ℥j ceræ ℥iij. olei dulciss. libr. 1. Hoc dimidiæ frontis parti, & musculis temporis ad frigidos affectus utilissimé illinitur, ac plerumque semel tantùm illitum ante balneum liberat â dolore. Si medicamentum validius videbitur, poterit euphorbii ℥ß. sumi, præsertim si euphorbium validum existat, corpusque molle, ac exactiore sensu præditum. Hoc enim medicamentum egregiè commendatur â Galen, 2. de compos. medicam. secund. loc.

Euphorbii virtutem in puncturâ nervi per imprudentem venæsectionem perpetratâ notat Mich. Ettmuller Schrœder. dilucit. Euphorbium cuidam ex venæsectione magnum dolorem brachii sentienti ob nervum læsum fuit applicatum, quo dolor cessavit. Helidæus Paduanus in observ. p. 310.

Unguentum Sculteti Armament. chirurg. observ. 64. loco puncturæ nervo calidè applicandum tale est. ℞. euphorb. optim. ℈j. resin. terebinth. ℥ß. & ceræ parum. M. Hæc compositio ex scholâ Galeni est desumpta.

Euphorbio imprudenter sumpto eadem debentur remedia, quæ contra helleborum album, elaterium, colocynthidem sumi solent.

Caput VIII.

De Esulà.

ESula planta est lactescens Linariæ similis, nisi quod ea sine lacte crescat, unde notus versiculus. Esula lactescit, sine lacte Linaria crescit.

Hæc planta cum radice & succo non ferè minùs ac Euphorbium est naturæ acris, causticæ, inflammantis, & ob id virulentiæ â Medicis accusata, & vix inter remedia admissa.

Nihilominus reperiuntur remedia nonnulla,

nulla, quæ ex Esulâ parantur. Uti notissimum, & usu celebre est extractum Esulæ Rulandi, quod ad ℈j. ℈ij. datum serositates in hydropicis feliciter expurgat.

Cortex Esulæ radicis validissime humores serosos expurgat, & rusticorum rhabarbarum nominatur. Cortex radicis esulæ minoris cum aceto præparatæ, & pulverisatæ blandum & potens est hydragogum in arthritide maximè proficuum, & sæpius comprobatum. Theod. Mayerne tractat. 3. de arthritide.

Pilulæ de esulâ Fernelii sunt sequentes. ℞. cortic. rad. esul. minor. ante 8. menses collect. acet. macerat. & torrefact. per. 20 horas. ℥ij. granor. ricini torrefact. & expurgat. nō. 40. myrobalan. citrinor. ʒiß. chamædr. chamæpith. spic. nard. cinamom. ã. ℈j. omnia tenuissimè trita excipe mucilagine tragacanth. aquâ rosar. extract. ℥j. d. Valde turbant, sed sunt efficaces in corporibus robustis. dosis à ℈j. ad ℈iß.

Oxymel helleborat. Juliani inter alia etiam Esulam admittit.

Species Diaesulæ Minsichthi sunt hæ. ℞. rad. esul. min. præp. rotul. diarrhod. Abbat. ã. ℥iß rad. hellebor. alb. præp. sal. vitriol. alb. ã. ʒiij. succ liquirit. extr. santal. rubr. ã. ʒj. cinamom. acut. ireos florent. Zingiber. alb. ã. ℈ij. magist. perlar. orient. corallior. rubr. a. ℈j. Elæosacchar. garyophill. nuc. moschat.

 elæosacch.

elæosacch. d. mastich. a. ℈ß. m. f. pulvis subtilissimus, per alvum & superiora noxia quæque sine molestiâ expurgans. dosis à ʒß. ad ʒj.

Valent in omnibus febribus, defluxionibus salsis, lumbricis &c.

Reliqua, quæ hîc dicenda essent ex iis, quæ de Euphorbio dicta sunt, haberi possunt.

Caput IX.

De radice cucumeris asinini & Elaterio.

RAdicem Cucumeris asinini, elaterium, succum ex fructu cucumeris asinini expressum, si venenata esse statuero, nemo mecum litigabit.

Ambo autem sunt valida drastica, & imprimis Elaterium, quod D. Dan. Ludovici dissertat. 1. Pharmac. de purgant. vegetabil. satis acre & virosum nominat, immo tam acre, ut aliquando tunicas intestinorum corrodat. Hinc factum est, inquit Guern. Rollfinccius tract. de Purgant cap. 5. cap. 5. ut multis annis ejus usus evanuerit. Quippe Elaterio accidit, quod Euphorbio, & aliis fortioribus purgantibus, quæ veneni infamia ex Medicinæ regno proscripsit. Quod prudenter factum esset, si morbi tutioribus & debilioribus semper

per cederent, & non in malis refractariis & intractabilibus necessum esset â valentioribus auxilium petere. Nam quia morbi magni, ut hydrops, febris quartana, lues venerea, apoplexia, elephantiasis, morbus ischiaticus, articularis, gialappam, sennam, rhabarbarum, agaricum, mannam, spernunt, nec delicatioribus curatio perfici potest, necessariò ad euphorbium, esulam, colocynthidem, & alia, uti â quibusdam eorum osoribus, nominantur, rustica auxilia recurrendum est. Unde Clar. D. D. Rosinus Lentilius Miscellan, Medic. Practic. part. 1. p. m. 318. inquit, hydropem rusticum esse, & aulicam civilitatem repudiare.

Rusticus igitur morbus remediis rusticis vult tractari, inter quæ etiam est Elaterium, & quia sæpissime viri nobiles rusticis morbis affliguntur, etiam ii rusticis remediis sunt tractandi. Nam in curatione non ad conditionem hominum, sed morborum, est respiciendum.

Est autem Elaterii usus in hydrope admodum proficuus.

Patruum tuum (ut Joh. Langius epistol, libr. 3, cap. 8. p. m. 859. scribit) Georgi consobrine Ludovici Regis Ungariæ Medicum," & ex Ludovici de Leonibus scholâ exercitatum Medicum, memini pilulas de Elaterio, ex unâ parte mastiches, duabus aloes"

hepa-

hepaticæ, & tribus elaterii, omnibus cum" succo fœniculi incorporatis non infelici" successu in hydrope parare, & exhibere so-" litum. Alias pilulas loco citato descriptas habet idem author, ut Rec. elater. ʒß. agaric. trochisc. rhabarb. ā. ℈ß. sqinanth. gr. v. trochisc. alhand. gr. 4. specier. hier. simplic. ℈ij. succ. absinth. ℈j. cum succo absinthii in aquâ absinthii dissoluto, & incorporatis reliquis fiant pilulæ.

Longiore experientiâ confirmatum est, tenues & serosos humores, atque aquam potissimum ducere elaterium. Hinc eleganter notat Massaria, si quando contingit, contingit autem quotidie, ut aqua epota thermarum in corpore detineatur, nullum præstantius hoc medicamento repertum iri. Guern. Rollfink. loc. cit. cap. 6. artic. 5.

Neque Elaterii usum repudiat Fridericus Hoffmannus, licet aliâs in admittendis istiusmodi remediis admodum difficilem se præbeat.

Theod. Mayerne Prax. libr. 3. cap. 10. in hydrope elater. gr. 1. cum Mercurii dulcific. gr. 12. ad ℈j. conjunctum, & exhibitum potenter serosos humores expurgare scribit.

Quomodo ex Elaterio extractum contra hydropem præparandum sit, docet Michael Ettmuller. comment. Ludovician. de purgant. vegetab.

In

In hydrope & affectibus serosis elaterium omnibus aliis præferendum esse, idem censet. Schrœder. Dilucid. Phytol.

Elaterium judicat Lindanus esse remedium per se nobilissimum, & credit suum Parentem eo centum hydropicos servasse, uti ex eo idem cap. de hydrop.

Nonnulli extractum elaterii, cum magisterio gummi guttæ combinant & contra hydropem exhibent. v. D.D. Rosin. Lentil. Miscell, Pract.

Elaterium, at non recenter paratum, quia valdè turbat, cum pilulis aloephanginis est hydragogum efficax. Joh. Fortis tom. 1. centur. 3. consult. 61. Extractum Elaterii cum spiritu vini paratum idem centur. 3. consult. 69. tom. alter. à gr. 1. ad gr. 3. commendat.

Si aquæ acidulæ potæ omninò stagnent, seu in corpore maneant, uti aliquibus accidit. Fallopius, Heurnius, Henricus ab Heer tractat. de acidul. cap. 15. pilularum aloephanginarum uni scrupulo elaterii grana aliquot addi suadent. Ceterùm qui modum elaterii præparandi, quem Dominus Padii Henricum ab Heer edocuit, sciverit, is uno grano, aut ad summam uno grano cum dimidio in nostratibus contentus erit, summaque felicitate aquas educet, quod ab eo tempore sæpe ipsum fecisse, multi testabuntur.

Quidam Canonicus, refert idem Author. libr.

libr. 1. observ. 27. cum de remediorum ignaviâ quereretur, dedi illi tandem elaterii albi nostratis grana duo, â quibus cum validè purgatus esset, plus quàm vicies, me inscio sumpsit. Interim valet, nec quicquam virium tot venæsectionibus & purgationibus illi decedere observatum est.

Elaterium cum duabus partibus asellorum contra asthma Galenus libr. 7. de compos. pharmac. sec. loc. cap. 6. utile judicat.

Rarior quidem in medicinâ usus est internus radicis cucumeris asinini, non tamen de eo omninò silent Medici, ut Epiphanius Ferdinandi histor. seu Casu medic. 38. in educendâ aquâ mirabile esse, nunquam eum fefellisse, & se semper felicissimo successu usum, uti ejus sequens est. Rec. rad. cucum. asinin ℥iiij. rad. ireos, sambuc. libr ß. rad. turpeth. ℥j. incidantur radices, ligni sassafras ℥ß. infunde per 24. horas in vini optimi libr. 6. coquantur ad consumptionem medietatis, decoctum coletur, & propter amarorem sacharo edulcoretur. Dosis ℥vij. calide sumpti, semel in septimanâ. Mirum est, quod operatum fuerit, semper enim hydropicus quidam hoc sumens libram unam vel duas aquæ citrinæ evomebat, & tantundem per secessum. Idem author histor. seu Casu medic. 40. tale decoctum proponit. Rec. cucumer. asinin. sambuc. ireos, soldanell. a. ℥iij. incisa infunde per

12. horas

12. horas in vini libr. 6. coque ad tertiæ partis consumptionem, in fine adde sem. anis. cumin. fœnicul. ammi, dauci, seselios, rutæ, aneth, ononid. a. ℥j. cortic. citr. ʒij. cinam. elect. ʒß. tragacanth. mastich. a ʒj. colatura detur, & saccharo edulcoretur. Dosis ℥vj. ℥vij. vel ℥viij. Hoc partim ex Ætio sumptum, partim ex Epiphanio Ferdinando, quod ad educendos flatus per os & secessum mirabile, evacuat itidem per vomitum & secessum, & in quadam ascitica tantam ructuum & flatuum copiam movit, ut ferè sit incredibile, quam operationem secuta est mira tumoris detumefactio. Hoc vinum mirabile, & innoxium est, & si quæ simplicia in ipso sunt deleteria, eorum noxam per corrigentia iis addita, demi, idem censet.

Externè Cucumeris asinini radicis magna vis est in emolliendis partibus scirrhosis, duris, item educendo sero in hydrope, ubi apponi meretur, sequens unguentum Epiphanii Ferdinand. Rec. succi ebul. cyclamin. cucum. asinin. a. ℥ij. ol. lilior. ℥ij. buthyri & olei cappar. a. ℥j. pulp. colocynthid. aloes a. ʒ iiß. salis commun. ℥ß. euphorb ʒiß. ceræ q. s. f. unguentum molle, cui adde stercor. vaccin. caprin. sinap. a. ℥ß. m.

Vel ℞. radic. cucumer. asinin. pulveris. q. pl. coque in urinâ pueri pro cataplasmate, valet contra hydropem. vide Lazar. River. observ. 80. centur. 4. Gale-

Galenus radicem cucumeris asinini oleo incoctam in surditate & tinnitu aurium auribus instillare, & si affectus hi ad multum temporis perseverent, omnibus amaris & acribus attenuatoriis, & discussoriis, quæ ad dolorem ex crassis humoribus obortum descripta sunt, utendum esse, singulis in aceto coctis, & melle admixto, utendum esse, prudenter suadet libr. 3. de composit. pharmac. cap. 1. p. m. 290.

Caput X.

De colocynthide.

Colocynthis fructus est, & ad cucumeres refertur.

Remedium est amarum, acre, mordax, & inter vehementia & violenta purgantia non postremum. Unde etiam virulentiæ crimine laborat, & multi Medici eam non sine maximo corporis humani detrimento, & sanitatis dispendio exhiberi posse censent. utut veteribus non sine fructu in frequente usu fuerit.

"Est medicamentum virosissimum, & tantùm non mors ipsa, uti Prophetarum pueri "clamant 2. Regum cap. 4. affirmante Ludovi- "co Septalio libr. 9. observ. 86.

Prolixe de ejus vehementiâ & malignitate conque-

conqueritur Reinerus Solinander sect. v. consil. 21. ubi scammonium, helleborum, colocynthidem, diaboli poma seu capita appellat, eo ipso eorum perniciosam qualitatem notans.

Accusat eam Dodonæus observ. medic. 8. schol. quod intestinorum tunicas erodat, & venarum oscula aperiat, adducit etiam exemplum cujusdam hominis robusti, cui per clysterem decoctum, in quo drachma una colocynthidis incocta, injectum sanguis copiosus per sedem effluxit, & ita hominem perdidit.

Verùm ego colocynthidis eam esse utilitatem cum veteribus Medicis judico, ut eâ inter remedia non commodè, carere possimus. Nam suis aculeatis & pungentibus particulis rectè & ritè usurpata egregiè humores crassos, viscidos, pituitosos incidit, discindit, â remotissimis partibus & capite ad intestina trahit, & per alvum expurgat, qui humores sæpissimè debilioribus remediis non obediunt, & violentum remedium, quale est colocynthis, desiderant; non minùs mumiali suâ amaritie, ut etiam alia amara, fermento multorum morborum putredinali, corruptivo, resistit, verùm eadem immodicè exhibita particularum suarum acutie intestina lædit, & vulnerat.

Istiusmodi viscida vel pura, vel fermento

putredinali inquinata pituita utplurimum peccat in morbis melancholicis, epilepticis, maniacis, leprâ, lue venereâ, febre quartanâ, morbis ischiaticis, & arthriticis nonnullis &c.

Colocynthidis pulpæ inter vulgaria, & Mercurialibus inter chymica contra luem veneream primas tribuit de Le Boe Sylvius App. "Tr. 3. §. 257. Sunt enim ista præcipua hu- "mori pituitoso viscidiori evacuando dicata. "Sunt, inquit alio loco, colocynthis & Mer- "curius, vel ex eo parata medicamenta, tum "sanguini pituitoso viscido, tum lui curandæ "omnium practicorum per experientiam do- "ctorum calculo convenientissima. Cui au- "tem vulgaria videntur magis tuta, illi com- "mendo ipsam colocynthidis pulpam in de- "cocti sudoriferi parte, aliove apozemate de- "coctam &c.

Hîc nota, colocynthidis usum in decocto tutiorem esse, quàm in substantiâ.

" Et iterum. Potest quidem solâ colo- "cynthide evacuari humor pituitosus in lue "peccans, longe autem facilius & felicius id "fiet, si mercurialia remedia ei copulentur.

Trochiscorum alhandal summam in luis venereæ & pestis veneno eradicando efficaciam suspicit Theodor. Mayerne. vide tract. ejus de lue vener.

"Vulgò dicunt, quicquid non attingit aga- "ricus, hoc petum attingit, & quicquid non petum,

petum, illud colocynthis, ac quidem præ"
ceteris in viſcoſitate mucilaginosâ extenu-"
andâ & evacuandâ prærogativam habet. Mi-"
chael Ettmuller. comment. Ludovic. de pur-
gant. vegetab. Uti Idem Schrœder. Pharmac.
Diludcid. regnum vegetab. Ad pituitam vi-
tream, craſſiſſimam. acidiſſimam, valde com-"
mendatur colocynthis, ex omnibus iis, quæ"
ſuccos craſſos mucilaginoſos ſolent evacu-"
are eſt potentiſſima, & Rex quaſi inter purgā-"
tia, nihilominus cum malignitate conjuncta,"
de quâ vide Salmuth centur. 3. obſerv. 2. Pla "
terum libr. 3. obſerv. p. 805. Inſignis eſt ma "
lignitatis, unde cum nauſea, vomitu, lipo-"
thymiâ & ſimilibus evacuat. Aliâs in lue ve-"
nereâ multùm commendatur, & dixit Hel-"
mont ſe melius velle curare luem veneream"
per colocynthidem, quàm per omnia deco-"
cta lignorum, modò ſit legitimè correcta, &"
venenum laxativum ſufficienter caſtiga-"
tum. Pro uſu in lue venereâ, ut remedium"
crudum, non tamen contemnendum ha-"
bent, qui recipiunt dimidiam partem colo-"
cynthidis pro viribus ægri, & varietate cir-"
cumſtantiarum. Hanc indunt vitro, & vi-"
num ſuperfundunt, macerantque per no-"
ctem, manè clarum ſine expreſſione effun-"
dunt, quod ipſum æger, qui aerem frigidum"
vitare debet, calidè bibat, quod quinquies"
& ſexies bibitum luem curare dicunt. Nul-"

" um enim datur remedium, quod venenum
" venereum â remotis partibus adeò solet re-
" vellere, quàm colocynthis. Unde dixit Hel-
" montius, quod unâ die plus exsiccet, quàm
" decoctum sarsæparillæ per tres septimanas.

Alii Medici prudenter ad luem venere-am curandam, ulcera antiqua, ossa cariosa consolidanda, aliasque intentiones decocto ligni pulpam colocynthidis addunt, quale est remedium Stephan. Blanckard. Chirurg. libr. 3. cap. 41. descriptum, ut Rec. lign. guajac. cortic. ejus ana ℥iiij. sarsæparill. ℥iij. fol. senn. ℥j. colocynth. cum sem. ʒ j. coque in aquâ fontan. ad ℥xl.

Huic decocto, si aliquid nucis vomicæ adjiciatur, tunc ejus virtus vulneraria non parùm augetur.

Rec. pulp. colocynth. ʒiij. pulver. arom. rosat. Gabriel. diarrh. Abbat. diambr. a. ʒj. tragacanth. ʒß. infunde per 24. horas in vini albi libr. 2. coque ad consumationem unius digiti, cola. dosis ℥iij. plus, minùs, juxta naturas, anni tempora, regionem &c.

Hoc vinum medicatum in Epiphan. Fer-
" dinand. histor. seu cas. medic 76. descriptum
" miram habet proprietatem ad dolores anti-
" quos maximè juncturarum, ut ischiadis &c.
" ad capitis dolorem antiquum, & ad internos
" frigidos intestinorum, est correctissimum,
" nec potest nocere ob colocynthidem, nam
adsunt

adſunt ad plenum omnia cordialia & ſtoma-“
chica corrigentia. Quare eſt tutiſſimum me-“
dicamentnm, & ſtrenuum valdè in caſibus“
deſperatis, etiam in lue gallicâ confectis.“
Hoc decocto lumborum dolorem feliciter ſublatum idem Epiphan. Ferdinandus loc. cit. refert.

In coxendicum dolore, ad humorem craſſum incidendum, eumque â parte affectâ revellendum colocynthidi ſingularem tribuit prærogativam Galenus libr. 10. de compoſ. pharmac. ſec. loc. cap. 2. his verbis: In qui-“
bus autem vehemens humorum denſatio,“
quæ ægrè diſſolvi poteſt, a Medicis acribus“
pharmacis intempeſtivè utentibus facta eſt,“
his cucurbita affixa maximè auxiliatur, &“
purgatio per efficaciora infuſa, quale eſt &“
quod ex colocynthide conſtat. Hunc effe-“
ctum Medici noſtrates nonnulli â remediis mercurialibus impetrant.

Sunt etiam colocynthis, & ex ea parata remedia ad menſes ciendos potentiſſima.

Inter alia compoſita, quæ colocynthidem admittunt, ſunt illa famoſa confectio Hamech Meſue, pilulæ cochiæ Rhaſis, fœtidæ majores Meſuæ, pilulæ de colocynthide Meſue, medicamenta affectibus melancholicis, arthriticis, & Alpho præcipuè curandis, deſtinata.

Sunt præterea pilulæ de nitro Alex. Tralliani, comitialibus, arthriticis, reſolutis, iſchis-

aticis, lue gallicâ afflictis curandis convenientia, ut alia minùs usitata non jam adducam.

Noxæ, quæ ab usu colocynthidis sunt timendæ, ex prudente & methodicâ exhibitione evitantur, nempe, si solùm ea detur in cõvenientibus morbis, robustis, viribus adhuc constantibus, non pueris, fœminis delicatioribus, multò minùs infantibus, non biliosis, tabidis, mensium & hæmorrhoidum fluxui obnoxiis.

Dosis sit utplurimum aliquot grana & ad summum decem, quamquam per se sola colocynthis ferè nunquam, sed utplurimum grana ejus aliquot aliis purgantibus ad eorum vim augendam â Medicis addi soleant.

Externè præcipuus usus colocynthidis est contra vermes. ut Rec. pomi colocynthidis in duas partes disscissi partem dimidiam, fellis bubuli tantum, quantum pomum colocynthidis, imbibere potest. Frigantur in cacabo (Pfanne) Pomum calidè quantum ferri potest, sub horam introitus in lectum, imponatur, fasciâ superligetur, quo per noctem ita impositum maneat. Manè removeatur, & ita per tres dies continuetur. Certum & usu comprobatum est remedium contra vermes, vide Kenelm Digby Expert. remed. part. 1. p. m. 114. vel Rec. aloes hepat. ℥iß. fell. bubul. q. s. f. emplastrum umbilico ad eundem usum applicandum. Confer Paræum, Mayerne. Rollfincium, & alios.

In

In clysteribus colocynthis in petiâ ligari, & in aquâ decoqui solet, ne intestina lædat.

In aurium tinnitu & surditate acria & amara ad discutiendos humores crassos ad aurium organa decumbentes valde prosunt, inter quæ non ultima est colocynthis, acris & amarissima, ubi efficacissimum illud Joh. Fortis euporistum apponere non dubitamus.

Rec. ol. amygdal. amarar. ℥ij. succ. raphan. ℥j. fell. capr. ℥ß. pulp. colocynthid. ℥j. macerentur per noctem in vase vitreato terreo, bulliant ad succi consumptionem f. expressio fortis per pannum lineum rarum. Hoc oleo turunda imbuatur, & auri indatur.

Gregor. Horstius append. libr. 1. part. 2. de variolis castorii, myrrhæ, colocynthidis, a. ʒj. asar. ʒj. sem. fœnic. anis. croc. a. parum in vino coquere, & vaporem per infundibulum manè & vesperi auribus excipere præcipit. Vel quod est Alexandri Benedicti. Rec. origan. pulp. colocynth. fl. serpill. major. a. ʒj. mosch. ℈ß. succin. odorat. ℈j. cubebar. ladan. mastich. styrac. calamith. a. ʒß ol. amygdal. amarar. lilior. a. libr. ß oleo reliqua contrita coque in vase duplici per decem horas. Surditatem & inextricabilia aurium vitia, si iis infundatur, sanat. v. Joh. Schenck. cent. 7. 67.

Correctio colocynthidis, si non tàm consistat in ablatione, quàm mitigatione ejus virulentæ qualitatis, non est rejicienda. Illa

Illa fit hoc modo. Pulpa colocynthidis conſcinditur, minutim contunditur, deinde cum oleo amygdalarum dulcium & mucilagine gummi tragacanthi arabici, & bdellio in trochiſcos formatur, qui vulgò alhandal appellantur.

Aliâs pulpa colocynthidis â ſeminibus, quæ ei inſunt, liberatur, minutim conſcinditur, conteritur, per cribrum trajicitur, & cum gummi arabico in aquâ roſarum diſſoluto irrigatur, exſiccatur, & cum mucilagine gummi tragacanthi in aquâ roſarum diſſoluti, formantur trochiſci. In hac præparatione, inquit Guern. Rollſinccius tract. de purgat. ſect. 3. artic. 4. cap. 12. evaneſcit colocynthidis venenoſitas. Nam oleum amygdalarum dulcium & gummata tragacanthum & arabicum, (quid bdellium hic magnopere conferre poſſit, non video) in aquis appropriatis diſſoluta ſuis oleoſis, pinguibus, & viſcoſis particulis nimiam colocynthidis acrimoniam obtundunt, & impediunt, ut ea inteſtina non amplius vulnerare poſſit.

Hunc præparandi modum nec Zwœlfferus rejicit, cum tamen, uti ante notavi, ſimilem præparationem in Euphorbio rejeciſſet, eamque non veram & realem, ſed fucatam nominaſſet.

Fit etiam ex pulpâ colocynthidis, ejus ſeminibus rejectis, cum ſpiritu vini extractum, ad uſus practicos valdè utile. Unde

Unde hi trochisci & extractum innumerabilium compositorum medicamentorum partem constituunt, quæ medicamenta contra dolores podagricos, ischiaticos, apoplexiam, coma, asthma, &c. diriguntur, & in authoribus medicis passim annotata reperiuntur.

Spiritus vitæ aureus Rulandi præparatur colocynthidem in spiritum vini infundendo, de ejus usu vide authorem.

A Mayerne hic spiritus à cochleare 1. ad 4. in epilepsiâ laudatur. Verùm inquit Rollfinckius tract. de purgant. hunc spiritum nemo nostrorum unquam assumere voluit, credo ob ingratum ejus saporem.

COlocynthidis imprudenter sumptæ antidotum est oleum amygdalarum dulcium expressum, mucilagines cydoniorum, gummi arabicum, tragacanthum, & alia istiusmodi. Rustici cujusdam à colocynthide sumptâ miserè excruciati, & per olea & amygdalata intus assumpta, & per clysterem infusa curati exemplum habet Cornel. Stalbartius centur. 1, observ. 41.



Caput XI.

De Elleboro albo & nigro.

AMbo Ellebori albus & niger radices sunt purgantes, emeticæ plantæ cujusdam, propter vehementiam operationis suæ venenositatis accusati, quorum verò niger absolutus, & ferè innocens amplo senatus Asclepiadæi decreto judicatus, præcipue in decoctis usurpatus, quod ipse vel centies expertus sum. Violentior & periculosior est albus, qui ob violentiam purgationis, quam per inferiora & superiora exercet, soli ferè helleboro nigro inter remedia locum relinquit, ut cujus usum plurimi Medici hodie abhorrent.

Zacutus Lusitanus Pharmac. Distinct 3. "cap. 1 inquit, Ellebori duplex est species, "alius est albus, alius niger; ille non est in usu, "nam summâ vehementiâ pollet & malitiâ, "atque gravissima symptomata excitat. Et "de Medic. Princip. libr. 2. histor. 29. hellebo-"ri albi usum propter summam ejus acrimoni-"am, & virtutem septicam non carere pericu-"lo asserit, nisi corrigatur.

Dan. Ludovici dissertat. 1. de Pharm. modern. in medicinâ non elleborum album correctum, nedum crudum propter virulentiam suam admittere vult.

Acriter in usum ellebori albi invehitur

Joh.

Jos. Quercetanus Tetrad, graviss. cap. affect. cap. 225. p. m. 473. his verbis: Antiqui ejus-" modi vomitoriis uti solebant, & in variorum" morborum curam commendabant, ut qui et-" iam in hunc finem helleboro albo uteban-" tur, vomitivo quidem, ut ego existimo, longè" violentiore, & perniciosiore omni antimo-" nii vitro, aut Mercuriali præcipitato inter" vomitiva potentibus.

Elleborus albus ex Mesue sententiâ libr. de simplic. cap. ult. corporibus nostri temporis est molestus, immò est eis, sicut venenum proprie præfocans.

Malignam hellebori albi virtutem, atque ancillam ab ejus infuso ferè mortuam notat Michael Ettmuller. comment. Ludovician. de Purgat. vegetabil.

D. D. Joh. Muralto in observ. 90. 6. Ephim. Nat. Curios. Decur. 2. Anni 2. scholio. de radicis ellebori albi malitiosis qualitatibus non condemnenda profert, eamque adeo stringentem esse, ut instar laquei collo injecti suffocet, omnemque universi corporis humiditatem in ventriculum abripiat, fibris quoque, nervis atque membranis, septicâ suâ & erodente qualitate tàm infensa sit, ut spiritus animales in iis contremiscant, horreant, & quam inhabitant molem stringant; sternutationes, motus convulsivos ac spasticos caussentur &c. Mors

Mors quæ tam sæpe helleborum album comitata est, non tàm hypercatharsis & inanitionis extremæ, vel siccitatis sequela fuit, quàm qualitatis venenosæ nervorum integrum syntagma contorquentis, & cerebrum venenantis. Quare igitur medicinæ tàm veneficæ in dispensatorio locus concedendus? Gideon Harvæus de vanitat. medic. cap. 17.

Gratulamur, inquit D. Rosinus Lentil. Parallelis. ad observ. 102. Decur. 3. Ann. 1. Ephim. nostro seculo, quod ejusmodi δρασικοῖς carere queat, & helleborum album purgandi fine datum Mulomedicis relinquimus.

Verùm de ellebori usu alii Medici planè aliam opinionem fovent, ut mirum sit in Medicinâ, ubi omnia juxta experientiam & rationem dijudicanda sunt, tàm confusè omnia proponi, & propter contrarias Medicorum sententias nobilissimam artem ludibrio aliorum exponi.

Nam apud alios veneni nomen elleboro albo non obfuit, quo minùs in gravissimis morbis, & præcipuè ad comitialem & insaniam curandam adhiberetur, & commendaretur.

Ex Benivenii sententiâ Abdit. cap. 52. uti ex eo Joh. Schenckius observ. 175. libr. 7. „ubi robustum corpus nactus fueris, & ven„triculus sit potens, morbusque longior & „difficilis, uti comitialis & insania, aut pares

„his, tunc album veratrum ritè, & citra Me-
„dici culpam exhiberi potest.

In curandâ insaniâ vomitu utebantur veteres, sed præstat uti minùs fortibus ex raphano cum oxymelide, neque in principio; in pertinaci affectu, cum reliqua non juvant, ad elleborismum quidam veniunt, sed cum cautione, & optimâ præparatione. Petrus Forestus libr. 10. scholio observat. 15. p. m. 352.

Innoxium esse omnium hellebori spe-“
cierum usum quotidie licet observare. Nul-“
la enim hîc veneni suspicio locum habet,“
quin ut ad magnos morbos, epilepsiam, me-“
lancholiam, maniam, quartanas, aliaque Me-“
dicorum scandala in usum antiquitus fuit“
vocatus, ita etiam a nostri seculi celeberri-“
mis Medicis ad similes affectus laudatur.“
Guernerus Rollfinccius tract. de Purgant.“
sect. 7. artic. 1. cap. 20.

Albi Ellebori dilutum exhibuimus qui-“
busdam melancholicis magno cum successu,“
nullo tamen ægrotantium incommodo, nul-“
lâque noxâ. Andreas Matthiolus comment. in libr. 4. Dioscorid. cap. 146.

In maniâ Lindanus dicit non dari generosius remedium Elleboro albo.

Quidam Studiosus Pomeranus scabie fœdatus, & humoribus repletus scrupulum semis in haustu cerevisiæ acceperat, â quo quidem valde

valde purgabatur, sed non levem utilitatem percipiebat. referente D. Samuele Ledelio observ. 65. Decur. 3. Anni 1. Ephimerid.

Theodorus Mayerne libr. 1. cap. 6. Prax. effert extractum hellebori albi, hujusque grana tria sursum & deorsum cum maxima difficultate, innoxiè tamen operari, & se maniacum quendam ita curasse refert. Consulit etiam infusum ex rad. hellebor. alb. ℥ij. in vini Muscatellini ℥ij. infusis præscribendum, quod ad cochlear unum exhibitum blandè vomitum viscidissimæ pituitæ movet, nec non vires hujus infusi esse inexhaustas, non aliter ac croci metallorum, idem testatur.

Veteribus sanè adeò commune fuit insanientibus exhibere helleborum album, ut qui insanirent, helleboro opus habere dicerentur. vide Erasmi Adagia.

Plinius Natural. histor. libr. 25. cap. 5. edit. Dalechamp. docet helleborum album mederi morbis comitialibus, vertigini, melancholicis, insanientibus, lymphaticis, elephantiæ albæ, lepris, tetano, tremulis, podagricis, hydropicis, & incipientibus tympaniticis, stomachicis, spasticis, clinicis, ischiaticis, quartanis, quæ aliter non desinant, tussi veteri, inflammationibus, torminibus redeuntibus. Vetant dari helleborum album pueris & senibus, item mollis & fœminei corporis & animi, exilibus aut teneris, & fœminis minùs quàm viris &c.

Mictom. centur. 2. 75 Geor. Hieroym. Welſchii in Ephimer. Nat. Curioſ. ann. 4. annexis refertur Abbatem ad S. Nicolai Venetiis ſolitũ eſſe dæmone vexatis potionem ſequentem exhibere. ℞. hellebor. alb. ℥j. cinamom. elect. ℈ß. infunde in vini alb. ℥iv. colaturæ addendo pauxillum ſacchari. Plurimis evacuatione copioſâ utrinque profuit, ut exorciſmo nequidem opus fuerit, quo in ceteris utebatur. Potionem & infuſum non diſplicere, pulverem minus commodum eſſe. Nec facile admittendam Noni ſententiam qui lapidem Armenium eidem juxta veterum conſuetudinem præferebat. Extractum hellebor. nigr. à ℈j. ad ℥j. Sylvaticum, Melchiorem Sebizium, & ſe in melancholicis affectibus exhibuiſſe, nec ℈j. niſi inſaniæ curandæ cauſa, exceſſiſſe. Patavii plurimos ex ruſticanâ plebe utriusque ſexus homines vidiſſe, ad aras ſanctorũ & pedes exorciſantiũ delatos, qui fruſtra excarnificati in noſocomio deinde publico helleboriſmis reſtituti, ipſo eventu comprobarũt, ſe non dæmoniacos, ſed ſolùm melancholicos aut maniacos fuiſſe.

D. D. Michaelem Lipſiæ quandam virginem melancholicam, quæ â Dæmone obſeſſa putabatur, per eſſentiam hellebori albi curaſſe teſtatur Michael Ettmüller. Schrœderus dilucidat. Phytolog.

Contra epilepſiam inveterato malo, quodque

que indomitum aliud omne remedium asper-nabatur, hoc postremnm subsidium opponebat Trallianus, helleborum nempe, eumque album, cujus ipse Trallianus formulam præscribit, quam Paulus Ægineta â verbo ad verbum describit eandem, in dosi tantùm, aut ingredientiũ pondere multum ab eo dissentiens. Pauli Æginetæ receptum habet baccar. laur. depurat. pip. alb. elypiad. euphorb. veratr. alb. ã. ʒj. vid. Tetrad. capitis affect. Quercetani. c. 14.

Celsus, si nullis remediis epilepsia cessērit, confugiendum censet ad veratrum album, ac ter quoque aut quater eo utendum, non ita multis interpositis diebus, sic tamen (addit ille) ne iterum unquam sumat, nisi conciderit. vide eundem Quercetan. loc. cit. p. m. 176.

Mesue libro de ægritud. capit. in epilepsiâ ad evacuationem usurpat præcipuè helleborum album, quod idem veteres Antecessores ejus tùm Græci, tùm Arabes factitare solebant; hieram diacolocynthidis, quam magni facit vel ad omnes capitis affectus. Illius descriptionem, nec non multarum hujus generis evacuationum, in quæ euphorbium, & alia calefacientium gũmatum genera, scammonium, lapis lazuli, borrax, helleborus, colocynthis, turbith &c. benigna scilicet (quod Quercetanus ironicè intelligit) pharmaca ingrediuntur, vel citra ullam præparationem, aut correctionem tradit. vide Quercetan. loc. cit. p. m. 295.

In

In epilepsiâ aliquando usus sum radice ellebori albi ad gr. 3. quod violenter sursum & deorsum evacuat, in robustis tamen optimo cum successu. Theodor. Mayerne Prax. libr. 1. cap. 3.

Aulus Gellius Plinium secutus ait, in helleboro coloris discerniculum, non in semine, neque in virgultis, sed in radice apparere. Candido vomitiones cientur, eoque stomachum & ventrem superiorem purgat. Nigro alvus inferior diluitur. Utriusque sumptio periculosa, sed albi uti præstantior, ita periculosior. Erasmus Adag. Chilid. 8. adag 51.

Ex Olao Borrichio Mangettus Biblioth. medic. pract. libr. 18. p. 818. 1. sequentia profert. "Solet vulgus veratri albi radicem cum "cinere culinario modico aluminis, & Zingi-"beris permiscere, atque hujus mixturæ (Pha-"ramundo Rhumelio, uti video etiam lauda-"tæ) ʒj. febricitantibus ingerere, unde præter "cetera, quæ ab usu veratri albi nimio profi-"cisci solent, symptomata, notavi miram ocu-"lorum convulsionem succedere, namque in-"vertuntur oculi planè, & pars quâ videmus, "retrò fugit, bulbusque duntaxat albus in-"spicientibus apparet. Durat ita cœcitas per "horam circiter unam, & tandem rejecto per "crebras vomitiones elleboro albo, discutitur, "febris cedit, & sanitas expectata revertit.

"Hoc illi vocant duro nodo durum cuneum
" quærendum esse, sed nisi salva sint omnia in
" pulmonibus, ægro cuneus tandem esse po-
" test, qui vitam ipsam è corpore tabido ex-
trudat.

Juliani oxymel helleboratum utrumque helleborum, & esulam recipit, in cujus virtutibus deprædicandis, totus est Gesnerus, atque se eo in plurimis morbis, ut asthmate, comitiali, arthritide, dolore ischiatico, mensium obstructione, pleuritide, concreto sanguine resolvendo frequentissimè magno cum successu usum fuisse affirmat, quæ laudes huic oxymelli impertitæ Augustanos Medicos permoverunt, ut illud corpori suo pharmaceutico insererent. Verùm hæ laudes, quibus Gesnerus hoc suum remedium mactat, Johanni Zwelffero hyperbolicæ esse videntur, cui etiam alii assentiunt. Nam, inquit, tanta medicamenti hujus dignitas facilé corruit, ejusque immensa laus oppidò vilescit, si intimius saltem inconcinna ejus compositio, & præparatio consideretur, & experientia testis consulatur, quàm frequenter illud sine ullo levamine, immo nonnunquam etiam cum detrimento ægrotantium fuerit exhibitum.

Verùm debuisset Zwelfferus probare compositionem hujus oxymellis esse inconcinnam, non verò id nude affirmare. Fortè Zwelf-

Zwelfferus huic medicamento imprudenter, & minùs congruè esulam, & utrumque genus ellebori, quia venenosa sunt, admisceri putavit; at nos jam plurimis rationibus & experimentis, nec non clarissimorum Virorum authoritatibus probavimus remedia, quæ venena sunt, & esse dicuntur, si imprudenter & imperitè usurpentur, si moderatè & cum judicio adhibeantur, esse generosa, atque ad eradicandam causam morborum & recuperandam ægrotantium sanitatem maximam efficaciam in recessu habere, juxta effatum Zacuti Lusitani libr. 2. histor. 19. de medic. princip. asserentis, venena castigata sanare morbos " immedicabiles. Aconitum scorpionum " morsibus mederi, hydragyrum scabiem, le- " pram, & morbum gallicum extirpare, arse- " nicum pestiferam luem refrænare, pastillos " Andronis & Passionis ex arsenico & cal- " chanto paratos ex Galeni libr. 5. cap. 6. me- " thod. med. adversus sputum sanguinis sum- " mo auxilio esse.

Deinde ad derogandam fidem cuidam medicamento non sufficit dicere, illud frequenter sine ullo levamine, immo nonnunquam cum ægrotantium detrimento fuisse exhibitum. Ubi enim est tàm innocens remedium, quod ubique & semper prosit, immo quandoque non magis noceat, & tamen illud in remediorum censu toleratur, quod et-

iam oxymelli helleborato non fraudi esse debet, cujus usum satis commendant, illud non ex incongruis, sed omnibus probe ad rem facientibus simplicibus compositum fuisse, & prudenter administratum suo officio non deesse, & omnes eas laudes, quibus Gesnerus illud ornat, mereri.

Ut igitur causam eorum, qui hellebori albi, & ex eo paratorum remediorum usum in medicinâ admittunt, agamus, & omnes difficultates, atque dubia in eâ re occurrentia removeamus, ante omnia in melancholiæ, maniæ, epilepsiæ, & aliorum morborum, quorum curationi helleborata destinantur, caussas nobis inquirendum est, & quidem primum de epilepsiæ origine differemus. Nam videtur absurdum esse epilepsiæ tale remedium opponi, quod ipsum convulsiones excitat, ut aphor. Hippocr. 16. sect. 4. & ipsa experientia docet. Nam sentiunt ferè omnes Medici epilepsiam ab humore acri nervosum genus irritante oriri, quam acredinem hellebori albi, & inde paratorum remediorum acredo, & ipsa ad irritandum nervosum genus apta, augebit, & affectum medendo magis exasperabit. Adhuc absurdius esse videtur istiusmodi acria in aceto coquere, (ita enim præparatur oxymel helleboratum) cum & ipsum nervosum genus suâ acri qualitate offendat. Verùm attentius rem intuentibus apparebit, utplurimum

utplurimum phlegma viſcidum, glutinoſum, ſubputridum, & orificio ventriculi impactum motus epilepticos producere. Habet enim ventriculus conſenſum cum capite, atque ipſo ab aliquâ causâ morbificâ obſeſſo, facillime compatitur, quod ipſum etiam exemplo hellebori albi, & aliorum fortium purgantium probari poteſt, quæ in ventriculo adhuc exiſtentia graves convulſiones interdum excitant. Sic vermes inteſtina rodentes convulſiones excitant. Nam cum nervi ſint corpora â cerebro ad partes quascunque corporis producta, & ipſius cerebri & membranarum ejus ſubſtantia, non verò, uti falſo fuit hactenus creditum, canales ſpirituum animalium, irritatâ extremitate nervi principiũ ſyſtematis hujus nervoſi contrahi, & concuti facili negotio poteſt. Quod ſi fit â veneno, vermibus, cur non etiam ab aliâ causâ? Cauſam epilepſiæ utplurimum extra cerebrum ſubſiſtere probat, quod ſi in cerebro ejusq; ventriculis materia peccans lateret, paroxiſmi epileptici non ita breves eſſent. Nam cauſa morbi non inde ita facilè excuti poſſet, vel ſi excuteretur, per meatum aliquem expurgaretur, vel in cerebro permanens tandem apoplexiam aut paralyſin produceret, quod etiam non fit. Denique multi epileptici fato defuncti poſt mortem ab Anatomicis & Medicis fuerunt diſſecati, in quorum cerebro, nihil fuit in-

ventum, quod illud irritare, aut ventriculos ejus opplere potuisset.

Phlegma viscidum, glutinosum epilepsiæ causam esse tota antiquitas credidit, atque illud adesse, & in ventriculo remorari non solùm in adultis, sed etiam infantibus ad oculum liquet, & quotidie observare licet infantes post rejectum vel vomitu, vel alvi fluxu istiusmodi viscidum & fœtens phlegma ab epilepsiâ planè liberari, aut ab eâ paululum respirare; cui phlegmati crasso cibus infantibus ingestus, ut lac, atque ex eo parata, ortum dedit. Ceterùm phlegma illud viscidum non vapores ad cerebrum mittendo, uti antiqui Medici opinati sunt, sed extremitates nervorum ad orificium ventriculi extensorum aggravando, & malignâ suâ qualitate irritando, peccat, irritat autem quia onus molestum sibi incumbens excutere nititur nervosa ventriculi substantia, quæ si per supervenientem motum vehementem excutitur, paroxismus desinit, & tam diu inducias dat, donec nova materia se colligat, sin verò pertinacius tunicæ nervosæ ventriculi inhæret, fiunt convulsiones sine intermissione, vel tetanus.

Præterea, phlegma viscidum, glutinosum causam epilepsiæ esse, demonstrant causæ antecedentes epilepsiam generantes, ut legumina, aquæ palustres, caro fumo indurata, sale condita, pisces saliti, lactis & inde paratorum

rum usus, quæ omnia epilepticis summe noxia sunt.

Quammaximè autem curatio morbum ejusque causam producit. Nam quæcunque tenaces & crassos humores incidere, attenuare, & per vomitum atque alvum expurgare valent, ea morbo huic horrendo medelam afferre possunt, quorum remediorum ingens est catalogus.

Veteres in hunc finem præ aliis commendabant bulbos squillæ, & oxymel ejus. Alii colocynthidem, hieram diacolocynthidis extollebant. Paulus, Ægineta euphorbium, baccas lauri, piper album &c. præscribebat, pilulæ de nitro Tralliani inter alia colocynthidem, bdellium, euphorbium admittunt, & ab authore contra morbum comitialem laudantur, quas pilulas etiam mirificè in hoc affectu commendat Manardus libr. 3. epistol 16. Veteribus, inquit Guilelmus Ballonius libr. 1. consil. 60. erat non infrequens calidissima, ut euphorbium, castorium, sagapenum &c. præscribere. Quia epilepsiæ humor viscidus, tenax, ideo pro suâ ablatione opus esse violenter & fortiter attrahentibus, qualia sunt theriaca, confectio anacardina, monet Zacutus Lusitanus de Medic. Princip. histor. 27. libr. 1. Rhasis in paraphras.

Non minus acria, calidissima ad expugnandam epilepsiæ causam multi recenti-

orum Medicorum præſcribunt. Cantharides ſupra ex Mercuriali tanquam epilepſiæ victrices propoſui, radices pyretri cum Hippocrate Platerus libr. 1. obſerv. ſemen ſinapi Carichter, ſemen ſaponariæ Borellus, ſpiritum vitrioli Quercetanus tract. de epileps. ſpiritum vitriol. compoſ. Mayerne. ſpiritum vitrioli cum ſpiritu ſalis armoniaci urinoſi deſtillatum mirabiles in epilepſia deprædicant. Spiritum æruginis Digby effert. Quot ſunt, qui Mercurialia in epilepſiâ ſuadent, & eſt cinnabaris nativa hodie in communi uſu. Nonnulli â Mercurio dulcificato ſibi omnia proſpera in curatione pollicentur. Non deſunt quibus præcipitatum placet. Mercurium per os ingeri debere affirmat Zacutus Luſitanus,& affert,Matthiolum libr. de Princip. Medic. hiſtor. 1. quæſt. 41. p.m. 130. 2. pulvere Joh. Vigonis ex Mercurio & aquâ forti conſtante plurimos epilepſiâ laborantes ſanaſſe, quia Mercurius tenacem pituitam, & atram bilem vomitu & alvi dejectione educit. Præcipitato Solari puella epileptica â Williſio reſtituitur,uti is de morb. convulſ. cap.3. ſcribit, ubi ſalivationes per remedia Mercurialia concitatas in epilepſia ſuadet. Baccas juniperi Mayerne multos epilepticos juvaſſe aſſerit. Multi decoctum guajaci inter antepileptica referunt. Mirabilia de ſyrupi Nicotianæ virtute in curandâ epilepſiâ adducit Zacutus

cutus Lusitanus de Medic. Princip. histor. 29. observ. 23. libr. 1. & plures epilepticos eo sanatos fuisse testatur.

At hæc omnia remedia recensita sunt acria, calida, immo nonnulla eorum caustica, & venenosa, & tamen contra epilepsiam â tot & tantis Medicis commendantur. Quia verò in horum censu etiam est helleborus albus, & oxymel helleboratum majus Juliani, quis adhuc dubitaret, etiam ea contra hunc morbum præscribere, & omnia bona ab ejus effectu sperare. Exinde etiam constat, neque veteres, neque Gesnerum in recensendis helleboratorum remediorum virtutibus aliquid nobis mentitos fuisse.

In epilepsiâ peccare phlegma viscidum, glutinosum, atque in curatione ejus conferre ea, quæ viscidum illud phlegma incidunt, attenuant, qualia sunt acria & caustica præ aliis, præter dicta etiam exemplo incubi, qui affectus sæpius epilepsiam & maniam præcedit, horum affectuum rudimentum est, atque â tenace humore nervis orificii ventriculi impacto, & agglutinato, atque ita molesto, ut viri pectori incumbentis speciem repræsentet, item exemplo febris quartanæ demonstrari potest. Nam novum non est epilepsiam superveniente quartanâ desinere: & aphor. 70. sect. 5, eos qui quartanâ corripiuntur non admodum convulsionibus tenta-

ri, si verò tentati fuerint, superveniente quartanâ liberari, docet. Exempla hujus rei notata inveniuntur ab Helmontio tit. tussis & asthma. text. 26. p. m. 191. ab Salmutho observ 84. cent. 2. â Theod Mayerne Prax. libr. 1. cap. 3. quod probat epilepsiam & febrem quartanam ab unâ causâ progigni. At in quartanâ peccare humorem crassum, crudum, melancholicum, semiputridum, agnoscunt omnes, quem verò talem esse præter causas antecedentes & symptomata hanc febrem comitari solita, etiam curatio, quæ per Mercurialia, arsenicalia, & alia caustica remedia peragitur, docet. Si igitur hic humor crassus, crudus, limosus, ad sanguinem convertitur, fit febris quartana, sin verò ad partes nervosas ventriculi decũbit, generatur epilepsia, & utrumque morbum oriri â succo crasso melancholico fere omnium Medicorum fert opinio. Est autem hic humor melancholicus, seu atra bilis nihil aliud, quàm sanguis â multo & viscoso phlegmate incrassatus, limosus, glutinosus redditus, qui ob suam crassitiem & visciditatem, quando in vasis imprimis mesenterii & lienis non ritè moveri & circulari potest, in iis stagnans aduritur, obstructiones & tumores scirrhosos producit: & si dicitur sanguis crassus, id fit ratione seri glutinosi. Nam ut sanguis per omnes corporis partes moveri, easque transire possit, sero dilutus esse debet,

quod

quod ei in corpore intime commixtum est, unde non malè serum vehiculum sanguinis dici potest, quanquam in alio respectu sanguis sero pro vehiculo est, illudque ad partes promovet, uti alibi fuit dictum. Si igitur justa est seri consistentia, tunc etiam sanguini eadem est, si verò illud suam justam tenacitatem non habet, & sanguis sero nimis dilutus & fluxibilior fit, tunc fiunt tabes, phthises, catarrhi, diarrhææ, dysenteriæ, sudores colliquativi, diabetes, hæmorrhagiæ narium, mensium, hæmorrhoidum, urinæ cruentæ. Contrarium accidit, si serum sit nimis crassum, tenax, viscidum, tùm ipse sanguis eo inviscatur, glutinosus, crassus, & ad movendum se ineptus redditur, obstructiones in vasis mesenterii, & ipsius lienis, viscere arteriis & venis ditissimo, parit, scirrhosos tumores producit, qui in vasis stagnans aduritur, & ipsi spiritus vitales corrumpuntur. Nam nervi ad officium suum peragendum opus habent spiritibus vitalibus puris, lucidis, qui verò corrupto & adusto sanguine redduntur impuri, tenebricosi, unde melancholici & maniaci affectus exsurgunt. Similia proponit Exc. D. D. Joh. Dolæus Encyclop. Med. libr. 2. cap. 3. ubi ex chilo vitioso sanguinem crassiorem & viscidiorem, ex quo sanguine dein (ex hypothesi communi loquitur) non possunt lucidi, & ad officium peragendum idonei, generari.

Immo

Immo ſunt nonnulli Medici, qui ab horum ſuccorum ſtagnatione omnes morbos produci autumant, inter quos eſt Bentekoe, quod verò falſum eſt. Nam uti dixi, ſunt morbi, qui ſero & ſanguini fluidiori, & juſto dilutiori ortum ſuum debent.

Hoc modo fuit oſtenſum, etiam ipſum ſuccum melancholicum â phlegmate multo viſcoſo produci, quem nonnulli Medici acidum viſcoſum (uti D. Dolæus Encycl. med. libr. 1. p. m. 60. 2. appellant. Phlegmatis viſcidi, glutinoſi cauſa eſt cibus & potus humores craſſos generans, qualia eſſe diximus lac & inde parata; piſces, legumina, carnes muriâ conditas, fumo induratas, cereviſiam recentem non probè defecatam, potus & uſus aquarum paluſtrium, vina dulcia, item eſt aer craſſus, nebuloſus, curæ, mœror, & anxietas; vel cauſa eſt fermentum ventriculi debole, aut bilis parcior, aut non ſatis acris ad inteſtina delata, cibos in ventriculo & inteſtinis non ſufficienter comminuentia, incidentia, attenuantia. Nam ut cibus in ventriculo comminuatur, natura in eo fermentum acidum poſuit, qui ab eo reſolutus in chili forma ex ventriculo exiens ſtatim in inteſtino duodeno bile humore itidem acri excipitur, quo ab eâ ulterius incidatur, & fluidior chilus reddatur. Hîc providentiam naturæ admirari licet. Nam cum in ventriculo acidum acre

pro

pro ciborum comminutione produxisset, in intestinis, acre alkalinum posuit, quo simul humor acidus humore contrario bilioso temperaretur, & tamen ambo suas vires conferrent ad fluiditatem chilo conciliandam.

In diætâ etiam ingluvies multum nocet, quando plus ciborum assumitur, quàm ut natura rite fermentare, atque in bonum chilum convertere potest. E contrario fit, ut qui acidum, vel bilem justo acriorem habent, vel cibo & potu calidiore utantur, sanguinem nimis fluidum nanciscantur.

Quapropter qui epilepsiæ, maniæ, melancholiæ, febris quartanæ curationi student, ante omnia id nonnunquam agent, ut phlegma viscidum, glutinosum evacuent, incidant, attenuent, atque eo ipso sanguinem à compedibus ejus liberum præstent, quo is sine impedimento cursum suum per omnes corporis nostri partes peragere queat. Ad quem effectum obtinendum remedia helleborata non minus, quàm mercurialia, & alia conferre possunt, & veteres Medici non sine ratione expurgandæ, atræ bili helleborum destinabant, ceu quoque recentiorum illi non reprehendendi sunt, qui id ipsum per mercurialia emetica perficere tentant. Nam hæc remedia virtute suâ emeticâ non solùm materiam peccantem ex ventriculo, & primis viis eliminabunt, sed etiam vi suâ causticâ simul crassos humo-

humores potenter attenuabunt. Unde recte Argenterius, uti ex eo Zacutus libr. 1. de Medic. Princip. histor. 25. Paraphras. vomitus „imperatur melancholicis non hujus humoris ratione, sed ad pituitam expurgandam, „quæ in his sæpe in ventriculo ob multas rationes gigni consuevit, cerebri & aliorum „partium diros effectus paritura, velut in „quartanâ, in quâ ob humoris motum in accessionibus, quarto quoque die ad ventriculum confluit, quæ nisi vomitu expurgetur, „graviora damna efficere apta est. Vomitoria juxta doctrinam Willisii in melancholicis, uti etiam in aliis morbis cephalicis, conveniunt, quia iis ventriculi viscosa saburra, quæ animum sæpè aggravat, sic evacuatur, quâ expurgatâ liberius se & alacrius expandere possunt spiritus.

Quæ verba iterum nostram & Helmontii opinionem confirmant, quâ credimus maniæ & melancholiæ semen utplurimum in primis viis & ventriculo stabulari, quod primariò ventriculum afficit, dum humor limosus, crassus & adustus ad nervosas ejus partes decumbit, atque per consensum cerebrum corrumpit, eo modo, quo diximus epilepsiam fieri existente causâ morbificâ in primis viis & ventriculo. Ita etiam Helmontius melancholiæ causam extra cerebrum & in præcordiis esse, atque circa os ventriculi expandi credit,

credit, prout venena facere solent, quæ vim habent dislocandi imaginationem, quæ non afficiunt primariò cerebrum, sed duntaxat præcordia & stomachum.

Quammaximè verò oxymel helleboratum tum ad evacuandum, tum alterandum succum melancholicum viscidum inserviet. In quo omnia simplicia illud constituentia & ipse liquor, in quo ea decoquenda sunt, ad unum finem conspirant. Horum præcipua sunt helleborus albus & niger, esula, turpethum, radix ari, squilla, quæ unâ cum reliquis omnibus mirifica humores crassos incidendi, eosque fluxiles reddendi virtute pollent, quorum efficaciam auget acetum, in quo decoctio peragitur, quod teste Hippocrate & experientia intra corpus assumptum ad resolvendum sanguinem summoperè conducit. Nam suis acutis particulis serum tenax & viscidum incidit, attenuat, & ita sanguini liberiorem cursum per vasa procurat; & hæc est ratio cur acida obstructiones tollant, quod faciunt non agendo in ipsum sanguinem, quem potius coagularent, sed serum attenuando. Hæ rationes probant oxymel helleboratum majus egregium esse remedium, neque ex simplicibus inconcinnis conflatum esse, nec Gesnerum illud immodicè laudasse. Quanquam non me fugiat multos Medicorum in efferendis suis medicamentis modum

modum excedere, quæ verò culpa præcipuè Chymicos arguit, qui, ut suis inventis famam aliquam concilient, nescio quorum arcanorum inventores se sæpius vanissimè jactant. Nam vir bonus non plus promittit, quàm præstare potest. Sed etiam ii reprehendendi sunt, qui in reformandis aliorum remediis nimis præcipites sunt, & spiritui nimis censorio, uti Zwelferus vir aliâs industrius, aguntur. Injustum enim esse duco, experimentis aliorum eam fidem, quam tu tuis haberi vis, detrahere. Exinde fit, ut multa eximia remedia, & â veteribus tantoperè commendata, quandoque præter rationem ab aliis contemnantur, & tantùm non ad tartara deprimantur, quod non fieret, si seculum nostrum non quandoque sibi nimis placeret, atque animi hominum solo veritatis studio ducerentur; ita enim quisque aliena non injusto odio aversaretur, nec sua cœco amore nimium laudaret.

Similes querelas movet etiam D. Joh. Ludovic. Hannemann. observ. 63. Ephim. Nat. Curios. Decur. 3. anno 1697. & 1698. his " verbis: In tussi laudo oxymel elleboratum "Excellentissimi Gesneri, quod vix amplius "in usu est. Nobis enim veterum industriâ "& studio inventa valdè sordent, utut vix me"liora habeamus. Cumprimis quasi Vatini"ano odio acetum vel acida detestamur, quasi

hæc

hæc pestem & interitum indubitatum ho-" mini afferant, cum tamen illa acida medica-" menta non raró morbos curent, &c.

Æquiorem oxymellis helleborati censorem se præbet Jos. Quercetanus Tetrad. graviss. capit. affect. cap. 16. p. m. 120. In eundem finem, inquit, uti etiam possumus oxy-" melle helleboraro majore Juliani toties in" epilepsiam, aliosque id genus morbos de" cantato â Gesnero: quod, ut ipse loquitur," mirificè abstergit, incidit, aperit, humores" omnes, omniaque excrementa è corpore" protrudit, ac meatus intus forisque reserat:" mira denique de eo prædicat Gesnerus, ita" ut mirum sit, ipsum in Apothecis Pharma-" copoeorum desiderari, & â Medicis ab usu" quotidiano excludi. Hujus descriptio ha-" betur in Pharmacopoeiâ Augustanâ, & alibi.

Ad defensionem oxymellis elleborati etiam dici potest helleborum album, & esulam in aceto coctam quodammodò corrigi, & mitigari, & certum est helleborata in decoctis & infusis usurpata minùs formidanda esse, quàm in substantiâ exhibita. Unde Matthiolus in libr. 4. Dioscorid. comment. p. m." 486. Medici antiqui pulverem veratri albi" propinabant comitialibus, melancholicis," vertiginosis, insanientibus, lymphaticis," convulsis, podagricis, resolutis, hydropicis," & elephantiâ, membrorumque tremore af-"

"fectis, sed jam exolevit ejus usus, quod in "pulvere non sine periculo dari possit, etsi e-"jus diluto quamplurimi absque incommodo utantur. Quamquam Henricus Smetius libr. 1. epist. 12. ellebori albi decoctum cum melle etiàm vetustissimis Medicis, ut Oribasio, Aetio, Æginetæ in usu fuisse, illudque satis tutum deprædicet.

Ad objectum, nempe in curatione epilepsiæ remedium nervoso generi infestum, quale est helleborus albus, non locum habere posse, responderi potest, id verum esse, si convulsio oriatur â causâ acri, tenui, non verò si fiat â materiâ crassâ, tenace, orificii ventriculi nervis impactâ, quæ pro suâ incisione & attenuatione acria & caustica remedia requirit. Nam in morborum curatione non ad eorum symptomata, sed (quod non semel alibi monuimus) causam est respiciendum.

Etsi helleborus uterque in substantiâ assumptus, docet Augustus Tonnerus libr. 6. epistol. 8. inimicâ suâ qualitate nervoso generi infestus sit, convulsiones excitando, in decocto tamen, vel infuso exhibitus removendo causam materialem, humores phlegmaticos & melancholicos evacuando, plurimum conferre, testimonium ferat ipsa experientia. Exin Heurnius in desperatis convulsionibus epilepticis, suum mel helleboratum summopere deprædicat, & oxymel elleboratum

Juliani

Juliani in spasmodicis malis Gesnerus decantat.

Verùm sunt nonnulli Medici, qui emeticis elleboratis nos non opus habere, & in eorum locum antimonialia tutiora surrogari posse autumant, uti Rollfinccius credit, quod vero ego non credo. Nam utut emeticorum antimonialium virtus emetica sit egregia, non tamen vires helleboratorum æquabunt, uti ea etiam efficaciam mercurialium emeticorum non attingere jam ex Ludovico, & aliis docuimus. Habent enim elleborata & Mercurialia præter vim emeticam etiam virtutem visciditatem lymphæ incidendi, atque virtute suâ causticâ cruditatem ejus corrigendi, quæ antimonialibus remediis deest, atque ut helleboratis & mercurialibus remediis, exempli gratia, febres intermittentes quæcunque debellari possunt, ita solis antimonialibus id perfici non potest.

Hujus radicum diluto ex more nostro „ parato, testatur Matthiolus comment. in Di-„ oscorid. libr. 4. cap. 146. hyeme etiam me-„ diâ, & magis urgente frigore (etsi id impro-„ bent Medici) præparatâ prius diutius mate-„ riâ, decoctis, ac syrupis ad id facientibus plu-„ res quartanâ febre laborantes sanavimus.„ Nunquam enim, quod meminerim, hoc el-„ lebori dilutum dedimus quartanariis nostris„ quin ex unicâ sumptione, vel saltem altera, Deo iuvante, fuerint sanitati restituti. Hîc

Hîc putat Rollfinccius, uti ex ejus verbis tract. de purgant. vegetab. sect. 7. art. 1. cap. 27. apparet, Matthiolum helleborum nigrum intellexisse, atque experientiam ejus in dubium vocat. Licet autem verba Matthioli obscura sint, nec ita certe sciri possit, quamnam speciem hellebori is intellexerit, ex verborum suorum tàm antecedentium, quàm consequentium sensu tamen erui potest, eum albi magis, quàm nigri, vel utriusque simul dilutum quartanariis propinasse. Nam antecedentia verba tam albi, quàm nigri ellebori mentionem faciunt. In consequentibus inquit, se ellebori albi dilutum quoque melancholicis quibusdam magno cum successu exhibuisse, quasi diceret, non solùm quartanariis, sed etiam aliis ægris tale remedium se obtulisse. Est autem certum, & ab aliis Medicis etiam observatum, dilutum ellebori albi quartanis febribus mederi, quæ virtus verò helleboro nigro non adscribitur.

"In psorâ, leprâ, & elephantiasi elleborismus aliquando admitti potest, si affectus sit pertinax, & vires id ferant. Theodor. "Mayerne tractat. 2. cap. 19. de morb. extern. per elleborismum autem intelligitur ille, qui fit cum helleboro albo, & si helleborum nuncupamus, albus intelligitur. Paulus libr. 7. cap. 10. quod etiam prædixit Galenus libr. 5. aphor. comment. 1. vel

℞. oxymel. squillit. elleborat. Julian. seu Gesner. ã. ℥ß. infus. primæ croc. metallor. ʒx. aq. card. benedict. ℥j. m. f. haustus emeticus pro unâ vice. Idem loc. cit.

Sequens contra asthma est D. D. Henrici Scretæ. ℞. oxymel hèlleborat. ℥iiij. mixtur. simplic. ʒij. flor. sal. armon. spirit. antasthmat. ã. ʒj. aq. fragor. ℥ß. m. d. cochleatim.

Contra asthma præscribere solebat D. Joh. Jacob Wepfferus sequens ℞. syrup. de erysim. Lobel ℥iß. oxymel. elleborat. Gesner. ʒij. gumm. ammoniac. in acet. squillit. solut. ʒj. aq hyssop ℥iij. ol. destill. anis. gt. iij. m. f. linctus itentidem cochleatim sumendus.

℞. oxymel helleborat. Gesner. ℥j. vel ℥iß. d. pro emetico. Idem tract. de Cicut. aquat. cap. ultim.

Oxymel helleboratum Gesnericum cum syrupo de erysimo Lobelii Joh. Muralto observ. 121. Ephimer. Nat. Curios. contra asthma commendat, si sputum viscidum, lentum, crassum ægrè succedit.

Ad menses ciendos Lindanus, uti ex eo Michael Ettmüller notat, oxymel. helleborat. ʒj. vel ʒij in decocto pulegii cum croco exhibuit.

Ceterùm ad evitanda omnia mala, quæ â sumptione hellebori albi internâ evenire possunt, eadem cautio, quæ in aliis fortioribus purgantibus, est observanda.

Quoad externum hellebori usum notari meretur, quod de eo affert Joh. Langius libr. 2, epistol. 20. Vidi, inquit, certè non semel artis veterinariæ Medicos equos orthopnœâ, aut quovis alio pulmonis vitio laborantes, quum alia remedia non sufficerent, trajectâ cum æneâ fibulâ, aut subulâ in pectore pelle, & insertis ex helleboro nigro radicibus feliciter curari. Id quod milites quoque in bello pestiferâ contagionis lue infecti, ac Medicorum opera & consilio destituti, facere & imitari audent. Infra quippe apostema aut anthracem, cute ad manus transversæ latitudinem forcipe apprehensa, candente subula per cannam ex lamina complicatam cutem trajiciunt, & adurunt, qua repente extracta vulnus radicibus hellebori nigri buthyro dèlibutis adimplent, infixasque perferunt, donec per suppurationem exciderint, quo omne virus ad vulnus allici sibi persuasum habent, nec spe frustrantur. Atrox certè & crudele remedium, sed quid ni? decet enim talia labra tales lactucas. Attamen verùm, efficax remedium & salubre est, virus a corde divertendi ratione, quod felici successu Casparus Keglerus Lipsiensis Academiæ Doctor in curandâ febre pestilentiali peritissimus expertus est. Hanc virtutem attractivam veneni pestilentialis in helleboro Langius ascribit occultæ qualitati,

nos

nos verò qualitati ejus causticæ, quam in eo deprehendit, & agnoſcit Zacutus Luſitanus, uti de Medic. Princip. libr. 2. hiſtor. 29. Oribaſii. Nam omnia cauſtica ſunt venenorum peſtilentialium attractiva, & fermento eorum putredinali ſummopere reſiſtunt.

Ad ſcabiem, impetiginem ſanandam maximus eſt hellebori utriusq; uſus, item in tineâ, ſi inde parentur unguenta & lotiones, ut ℞. ſulphur. ℥ij. hellebor. alb. ℥ß. Mercur. ſublimat. ℈ß. buthyr. veter. ℥iiij. m. f. unguentum. v. D. Stephan. Blanckardum Chirurg libr. 3. cap. 15. Vel

℞. hellebori utriusque ſulphur. viv. auripigment. lithargyr. calcis viv. vitriol. alumin. gallar. fuligin. ciner. clavellat. ā. ℥ß. aut ſecundum Gordonium ℥j. argent. viv. extinct. virid. æris. ā. ʒij. m. f. pulvis, tum ℞. ſuccor. borragin. ſcabios. fumar. oxylap. ā. ℥iij. bulliant. ſimul lento igne cum acet. ℥iij. & fecis olei antiq. libr. 1. ſub finem decoctionis addatur pulvis cum ℥ß. picis liquidæ, & ceræ ā. q. ſ. miſce fiat unguentum certiſſimum in omni tinea, ſcabie, malo mortuo, & morphæa, ſed in adultis, & in affectu pertinaci tantùm uſurpandum. Mayerne tract. 2. cap. 17. de morb. extern. Huic unguento ferè ſimile ſupra cap. de Arſenic. ex Blancardo attuli.

Contra vermes in auribus contentos laudat Galenus de compoſ. pharmac. ſecund. loc. libr.

libr.3. cap.1. veratrum album cum melle in aurem immissum, vel aridum ejus pulverem insufflatum. Ad surditatem, aurium tinnitum p. m. 287. loc. cit. veratr. alb. ʒj. castor. obul. j. spum. nitr. obul. 1ß. cum aceto utere.

Ad aurium tinnitum antiquum ceu præstantissimum commendatur rad. hellebor. alb. castor. ā. ʒij. costi ʒ1ß. rut. ℈ij. euphorb. ʒß. colocynth. ℈j. amygdal. amarar. ℥j. coque in oleo rutac. in duplo vase per horam, & tepidè in aurem instilla. v. Ettmüller. cap. 5. de læs. audit. Vel, quale est Claudii Deodati Panth. hygiast. libr. 3. cap. 21. p. m. 134. 1. ℞. helleb. alb. ʒj. castor. ʒiß. colocynth. nitr. ʒj. euphorb. ℈ß. coque in ol. rosac. ℥iiß. acet. ℥iij. succ. pomor. ℥iiß. ad oleitatem, per pannum coletur. Aliquot guttæ in aurem instillantur.

Rondeletii remedium contra auditus difficultatem expertum est sequens ℞. hellebor. alb. ʒiij. fol. laur. rut. ā. man. ß. fol. fraxin. man. 1. f. decoctum in vino albo generoso, & oleo amygdalar. amarar. usque dum vinum consumptum fuerit: Liquor expressus auribus immittatur. Ratio effectus est, quia hellebori albi radix acredine suâ in serositatibus ad organa auditus decumbentibus resolvendis magnarum est virium. Unde etiam alia acria in istiusmodi affectibus curandis sunt potentissima, qualia sunt colocyn-

this, radix cucumeris asinini, cyclamen, radix pyrethri, cæpæ, fella animalium, allia, & spiritus formicarum, & inde parata ut aqua acuistica Mindereri &c.

Polychrestum etiam illud Theodori Mayerne tract. de morbis extern. p. m. 393. cap. 6. contra tinnitum aurium Rec. rad. cyclamin. ℥j rad. hellebor alb. ℥ß. pulp. colocynth. ʒiij. fol. serpill. rutæ, puleg. rorismarin. laur. ā. man. 1. calamenth. origan. ā. man. iß. f. decoctio in vase clauso cum aceto, aquâ & vino, calidæ decoctioni imponatur infundibulum, & immissis per vices silicibus candentibus per laterale ollæ foramen excitetur vapor excipiendus in aurem manè jejuno ventriculo.

In officinis prostat unguentum ad pediculos usitatum, quod non parvam hellebori quantitatem admittit.

Ingreditur etiam helleborus albus pulverem acutiorem ad suppositoria Augustanorum Pharmac. item ad suppositoria sicca. Ut ℞. specier. hieræ picr. ℥iß. colocynthid. pulveris. ʒvj. hellebor. alb. pulveris. ℥j. salis commun. ℥iij. farin. frument. ℥xviij. cum vitellis ovor. & melle despumato q. s. f. suppositoria, quæ verò gravidis juxta præceptum Doct. Augustanorum non sunt applicanda.

Inter sternutatoria etiam refertur helleborus albus, Germanis ideo Nieswurz appel-

latus, quod probat hanc radicem esse valdè acrem, irritandi facultate præditam.

Ex eo talis pulvis sternutatorius concinnari potest. ℞. rad. hellebor. alb. sem. nigell. ā. ℈iiij. herb. major rorismar. salv. ā ʒiij. ambræ gryſ. moſch. ā. gr. viij m. f. pulvis subtilissimus. D. Lentilius Miscell. med. libr. 3. p. 97.

Ad pediculos & lendes capitis occidendos & abigendos Joh. Jacob Wecker tractat. de Secret. cap. 24. libr. 6. helleborum album, nitrum, & staphisagriam, & oleum de Serbin (seu Sabinâ) conjunctim & divisim valere affirmat.

Ad cimices abigendos ℞. absinth. man. 1. rad. hellebor. alb. ℥j. coq; in lixivio usque ad tertiæ partis consumptionem, quo juncturæ lectorum inungantur. Idem ex Roscello cap. 23.

Ad scabiem equorum probatum est remedium, si ℞. axung. porcin. libr. ß. ol. laurin. ℥ß. argent. viv. ℥ij. ellebor. alb. ℥j. misce optimè. Idem author loc. cit. ex manuscripto.

Hanc hellebori & aliorum venenorum in expugnandis etiam pertinacissimis morbis externis summam virtutem dum considero duo potissimum subit mirari; primò quod plurimi Medici hactenus crediderint venena propriè dicta naturæ nostræ ita infensa esse,

ſe, ut nullo modo in medicamentorum partem & conſortium venire queant. Nam ſi dantur talia, ea non ſolùm internè ſumpta, ſed etiam externe applicata erunt periculoſa, cum tamen experientia quotidie ad oculum demonſtret, venena etiam proprie dicta, qualia ſunt arſenicum, Mercurius ſublimatus, præcipitatus, cantharides &c. in affectibus externis eſſe ſaluberrima remedia; ſecundo, ſi venena in debellandis morbis externis ſunt tantarum virium, & cauſam morbificam tam fortiter aggrediuntur, uti hoc facere certum eſt, cur id ea facere poſſe etiam interné data negetur, vel dubitetur? cum potius virtus hiſce remediis inſita, quam in tollendis morbis externis obtinent, probet, ea etiam ad internos affectus ſanandos non minùs eſſe valitura, quia cauſa morbifica, quæ affectus internos generat, ſæpiſſimè ejusdem eſt naturæ & ſortis, quæ externorum mater eſt, nec ab eâ aliter differt, quàm ut ea internum, ita illa externum morbum producit. Sic exempli gratia mihi abſurdum eſſe videtur, Mercurialia remedia modò dicta, ſi externè applicentur, in miaſma putredinale, corruptivum luis venereæ, ulcera & tumores malignos producens multum poſſe, atque eandem virtutem iis, ſi internè exhibeantur, denegare. Ex quo manifeſtum redditur, nullum venenum in naturâ eſſe, quod non modò externè, ſed etiam internè

ternè officio remedii non fungi queat. Si verò dicitur, concedi quidem posse, venena rerum naturalium (nam de præternaturalibus & morbosis hîc nulla est quæstio) agere in causas morborum, easque destruere posse, simul verò, si internè sumantur, lædere corpus, atque eam læsionem formidandam esse, cum ea multò major sit, quàm utilitas, quæ ab actione remedii in causam morbificam expectatur, tunc respondetur etiam eam læsionem per prudentem administrationem remedii, & accisam ejus dosin evitari posse, nec usum remedii venenosi remorari posse.

Quia helleborus albus est remedium vehemens & violentum, ideò ad vim ejus refrænandam Medici varias tentabant correctiones & præparationes.

Veteres radiculas ellebori albi raphano infixas per noctem servabant, postridiè raphanum exprimebant, succique ℥j. porrigebant; cum ptisanâ, cujus loco sumi potest pinatella liquidior ad os ventriculi humectandum, ne convellatur.

Alii, quæ præparatio priore melior & gratior, radicis ℈ß. infigunt frustulo mali cydonii, & in eo coquunt, postmodum extractis radicibus datur comedendus bolus ille, vel ex eo succus expressus diluitur vino, jure pingui alterato semine citri, daturque hauriendus. Redditur, inquit Prævotius Medic. Pauper.

p. m.

p. m. 66. elleborus albus longè mitior, si radix emedullata post debitam infusionem sinatur aliquandiu in aceto bulliri, deinde siccetur, & ad usum servetur. In hunc finem etiam commendat acetum cydoniorum, vel aliud alteratum aliquo stomachico frigido & astringente. Dosis ℈ß vel ℈j. non in substantiâ, ne os ventriculi convellatur, sed in infusione.

Idem est consilium D. Augustanorum Medicorum, sed emedullationem tanquàm inutilem, impossibilem, & ex curiosi cujusdam cerebello profectam rejicit Joh. Zwelfferus.

PUrgantium fortiorum, uti Euphorbii, Esulæ, colocynthidis, elaterii, helleboratorum vel fortè & imprudenter, vel malitiosè exhibitorum antidotum est lac bubulum recens, calidum, ita enim vomitus & alvi fluxus enormes non semel repressos vidi, & expertus sum. Nam lactis pinguibus & unctuosis particulis purgantium acres ventriculi & intestinorum irritativæ obtunduntur & inviscantur, atque ita effrœnis eorum vis purgatrix subflamminatur. Lacti naturali substitui potest artificiale ex amygdalis dulcibus, seminibus refrigerantibus, & aquâ rosarum paratum, item vinum cydoniorum, granatorum, corallia rubra, cum eorum tinctura, C. C. ustum, crocus Martis astringens, laudanum opiatum,

theriaca

theriaca cœlestis, quatenus virtute suâ narcoticâ partes læsas & irritatas obstupefaciunt. Quandoque, & quam maxime in hypercatharsi, vomitus per mitia emetica concitatus, prodest, ita enim purgans in ventriculo remorans è corpore ejicitur.

Mayerne Prax. libr. 3. cap. 12. p. m. 434. utriusque hellebori virtutem ex corpore mulsam, item decoctum uvarum passarum, hordei, aut gallinarum cum oleo amygdalarum dulcium & similia deturbare statuit.



Caput XII.

De Lapide Lazuli.

LApis Lazuli est lapis opacus, sapphiri colore, aut florum cyani, aureis punctulis aut flammulis exornatus. Ex eo color conficitur cyaneus, quem ultramarinum vocant.

Etiam hunc lapidem venenosum esse ex Avicennæ verbis libr. 2. tract. 2. cap. 37. colligi potest, quibus ei facultatem tribuit putrefacientem, ustoriam, & exsiccatoriam. Lapidis Lazuli, & Armenii, ut venenosorum mentionem facit Andr. Matthiolus comment. in Dioscorid. libr. 5. cap. 59.

At Zacutus Lusitanus Pharmac. distinct. 3. cap. 2. crudum lapidem Lazuli venenum quidem

quidem esse, præparatum verò & lotum neutiquam, concedit. Lavatur enim, inquit Joh. Schrœderus Pharmac. libr. 3. cap. 8. 11. ut acrimonia & vis exurendi in eo auferatur, quod etiam omnes Medici veteres crediderunt. At lotionem ridiculam, ineptam & planè inconsideratam nominat Joh. Zwelfferus animadvers. in Pharmac. Augustan. Si enim (infert) illud quod eluitur, sive quod à lotione in fundo remanet, inspicio, utrumque vel purus pulvis lapidis Lazuli, si purus ille, vel lapillis & saxis permixtum, si is saxosus fuerit. Porrò, sive purus sive saxosus sit lapis Lazuli, nullo planè sapore imbuet aquam, qui signum esse posset perfectæ lotionis.

Huic censuræ succinit Frider. Hoffmannus & addit, experientiam cuilibet manifestaturam esse, falsum esse, ablutione præparatum vomitum non movere, non lotum autem hoc perficere, cum tàm non lotus, quàm lotus, ἄνω καὶ κάτω purget. Asserit etiam hujus lapidis virtutem ab antimonio non dissimilem esse, susque deque purgantem omnes humores.

Verùm non me admodum sollicitum habet venenata & purgans illa qualitas lapidis Lazuli, quæ alios tàm solicitos habet, sive illa lotione pereat, sive maneat, nam vim Lazuli exurentem præparatione non tollendam esse, quia illa ipsa medica est, & ægrotis salutaris

taris, ſed magis ſervandam cenſeo, ut quæ potiſſimum in cauſam morbi agit.

Ceterùm virtus huic lapidi ineſt contra atram bilem, & omnes ab eâ ortos morbos, ut febrem quartanam, melancholiam, epilepſiam, lienis vitia, incubum, lepram, quos curat, & ab iis præſervat. Animum hilarem facit, triſtitiam abigit, corpus floridum conſervat, thoracem & pulmonem â craſſis humoribus repurgat. vide Zacut. Luſitan. loc. cit Joh. Schrœderum & alios.

D. Joh. Dolæus Encyclop. Med Dogmatic. libr. 4. cap. 1. & 8. lapidem Lazuli in intermittentibus ante paroxismum à ℈i. ad ʒj. in ſpiritu vini traditum ſibi pro ſingulari ſecreto eſſe ſcribit, quod capite octavo loc. cit. repetit. Quod præcipitando cauſam febrilem efficere ajunt, quanquam, ut verum fatear, non capiam, quid hic terminus Medicis hodie adeò uſitatus ſibi velit. Nam præcipitare, eſt rem in liquore quodam ſolutam per alium liquorem injectum ad fundum dejicere, quomodo verò hic terminus chimicus ad uſum practicum accommodari poſſit, non video. Nam nihil tale huic ſimile in febribus intermittentibus accidit. Niſi fortè reſpondeatur verbum præcipitare cauſam febrilem metaphoram eſſe, atque idem dictum, quod fermentum febrile extinguere, deſtruere, non aliter, ac quod in præceps dejicitur, perire & corrum-

corrumpi solet. Quapropter potius dicendum est, virtutem exurentem lapidis Lazuli, uti etiam arsenici, Mercurii præcipitati, licet ea multo major & fortior sit, imprimis in spiritu vini exhibiti, fermenti febrilis cruditatem corrigere, aufferre, humores crassos incidere, attenuare, & obstructiones aperire.

Frider. Hoffmannus Pharmac. med. chymic. libr. 2. cap. 8. §. 147. admirandam vim confortandi, & maniacum & melancholicum miasma expellendi, si philosophicè præparetur, ei attribuit. Mihi ex hoc lapide sequentia præparata potissimum arrident.

Calcinatur lapis Lazuli in fornace laterum, deinde aquâ vitæ solvitur calcinatus. Hâc solutione Fiorevantus multos morbos & febres malignas se curasse scribit, & ulcera etiam pessima in optimum statum ad miraculum usque redegisse.

℞. flor. sal. armon. in destillatione spiritus salis armon. adscendentium & alcahol vini hispanici q. s. misce & digere, & habebis menstruum, quod superfunde lapidi Lazuli subtilissimè trito, & statim extrahet in modico calore digestionis tincturam cœruleam, cujus dosis a ℈ß. ad gr. 15. in delirio.

Tinctura cum spiritu salis armon. urinoso præparata commendatur in quartanâ, epilepsiâ, apoplexiâ, maniâ, melancholiâ, &c. ab acidis humoribus ortis, dosis est gutt. 10.

ad 20. vel ultra Frider. Hoffmann. Pharmac. Schrœder. loc. cit.

Quâ ratione verò lapis Lazuli tantam vim in edomando succo melancholico & maniaco, nec non aliis morbis curandis exserat, non difficulter ex jam allatis intelligi potest, & quod maximè virtuti causticæ hujus lapidis adscribendum esse censemus Quamvis in morbis melancholicis & maniacis, in quibus ignis seminarium esse Montanus olim statuit, atque omnes Medici præfervidam spirituum dispositionem esse agnoscunt, minùs quadrare videatur remedium acre, calidum, immò adurens. Nam in curatione morborum non semper symptomata sunt spectanda, sed potissimum, ut jam alibi docui, causa morbi. Et quamvis maniæ & melancholiæ symptomata remedia acria & calida respuere videantur, causa morbi tamen nobis aliud faciendum esse injungit. Illa sæpius (non vero semper) in morbis maniacis & melancholicis, & epilepticis est humor viscidus, glutinosus, sanguinem incrassans eumque ad circulationem & motum in vasibus perficiendum ineptum reddens, qui deinde in venis & arteriis mesaraicis stagnat, stagnans aduritur, adustus ipsos spiritus vitales corrumpit, quibus corruptis ipsum judicium depravatur, & deliria omnis generis producuntur, quia cerebrum & nervi ad suas actiones

per-

perficiendas ſpiritu vitali puro & lucido opus habent. Humorum ſtagnationem in morbis melancholicis adeſſe præter alia etiam indicat, quod in me ancholiâ & maniâ defunctorum cadaveribus in meſenterio ſæpius vaſa varicoſa, ſanguine craſſo diſtenta fuerint inventa, quia ſanguis præ craſſitie venas imprimis minores non tranſire potens, eas copiâ ſuâ dilatabat, quod multi Medici ut D. D. Mortonius, Bonnettus, Gregor. Horſtius & alii obſervarunt. Quare ad curationem maniæ talis & melancholiæ nihil magis eſt neceſſarium|, quâm ſanguini ſuum liberum curſum iterum procurare, & ſtagnationem ejus removere, quod fit, ſi humor viſcidus & pituitoſus vel expurgetur, vel incidatur, & attenuetur, quorum utrùmque inter alia hoc præſtare poterit lapis Lazuli, virtute emeticâ, purgatoriâ & cauſticâ humores expurgans, attenuans, reſolvens.

Ad hunc finem obtinendum Medici veteres & recentiores etiam alia pituitæ inciſiva, & expurgatoria adhibebant, ut colocynthidem, & ejus potiſſimum bove arantem notiſſimam confectionem Hamech, item helleborum album & nigrum, oxymel ſquilliticum, omnia acria, calida & cauſtica remedia, uti etiam in incidenda, & per ſpuitionem deinde educendâ blennâ viſcida etiam Mercurialia inſignem navare poſſunt operam, &, obſer-

vante idipsum Thomâ Willisio & aliis, per salivationem â Mercurialibus excitatam multi maniaci & melancholici fuerunt curati.

Hîc Medicis tam veteribus, quâm recentioribus, quorum illi morborum causam atræ bili, hi verò humoribus acidis adscribere solent, litem movere possumus, atque dicere, atram bilem veterum, & ei comparatum acidum succum recentiorum non esse causam efficientem affectuum melancholicorum, sed eorum productum, atque effectum, quia dum sanguis crassior, tenax & glutinosus per vasa, imprimis lienis & mesaraica præ crassitie non ritè circulari & moveri potest, ibidem stagnans nigrescit, acescit & acrescit, non secus ac vinum, cerevisia, loco calido servata in acorem degenerare solent. Aliàs enim humores acidi, acribus particulis præditi, humores crassos, tenaces, magis incident & attenuabunt, quàm eos inspissabunt, ceu quoque acida in remediis contra morbos melancholicos usurpata sæpius sanguinem fluidiorem reddidisse, atque in expediendis obstructionibus non minimam operam conferre, quotidiè experiri licet. Ob similem rationem statuo, atram bilem non morborum melancholicorum causam esse posse, quia si hoc esset, sanguis â remediis calidis, immo quandoque causticis, magis adureretur, & affectus exasperaretur.

Qua-

Quapropter magis phlegmati glutinoso, sanguinem incrassanti, & ad motum ineptum reddenti, quâm alii rei affectuum melancholicorũ causam adscribendam esse, non solùm causæ antecedentes in diætâ istiusmodi crassum phlegma generantes, & ipsa morborum symptomata eandem causam indicantia, sed etiam curatio per ea, quæ quoquo modo crassum sanguinem incidere, eumque fluidiorem reddere valent, instituta probat, qualia sunt non modò dicta & recommendata remedia, sed etiam, alia, ut spiritus & salia volatilia urinosa, tinctura tartari, essentia trifolii fibrini, gummi ammoniacum, sagapenum & alia calida gummata, radix ari præparata, bryoniæ, in nonnullis casibus chalybeata, acidulæ, decoctum Coffe, Theè, suffitus Tabaci. Cur verò istiusmodi obstructiones potissimum lienem & mesenterium obsideant, causa est, quia hæ corporis partes præ aliis multis venis & arteriis, iisque exilibus sunt præditæ, quorum meatus angustos non transmeare potens sanguis crassus eos obstruit, & quandoque tumores scirrhosos in iis producit.

Præcipuum medicamentum, quod lapis Lazuli ingreditur, est confectio alkermes completa, & incompleta, at contra rationem factum esse videtur, confectioni confortativæ addere purgans, & quidem venenositatis suspectum remedium. Ad hoc respondet Fri-

 dericus

dericus Hoffmannus libri 3. cap. 8. §. 147. inanem esse metum de vi purgativa lapidis Lazuli, eam enim in sale volatili consistere putat Petrus Poterius loc. cit. per calcinationem verò & alio modo corrigi potest, ut in confortantem degeneret. Verùm nec veteres, ut Mesue, reprehendendi sunt, qui lapidem Lazuli non aliter nisi solâ lotione præparatum huic confectioni addebant. Inest enim lapidi Lazuli duplex qualitas medica, una purgativa, altera incidens & attenuans crassos melancholicos humores. At non eâ quantitate lapis Lazuli confectioni alkermes additur, ut vim suam purgantem exserere possit, exserit igitur solùm alteram, ut ita non sine fructu sit additio remedii succos melancholicos crassos incidentis in confectione, quam tristitiam dispellere, lætitiam parere Medici tradunt, & cujus reliqua ingredientia sunt ejusdem cum lapide Lazuli virtutis, quod probat observatio Amati Lusitani de quodam, qui ex frequente confectionis alkermes usu grave sanguinis stillicidium passus est, quod verò Amatus propter lapidis Lazuli resolventem vim accidisse credit. Fridericus Hoffmannus autem magis ambræ, moscho, dulcibus, quàm lapidi Lazuli hunc effectum attribuendum censet, hæc enim fermentationem præternaturalem in massâ sanguineâ excitasse, sanguinisque impetum promovisse.

Quod

Quod ut de ambrâ, moſcho, ſaccharo verum eſt, ita nec de lapide Lazuli negari poteſt, quem non minùs, quam ambram & moſchum ſanguinem fluidum reddere; atque hoc modo morbis melancholicis mederi, ipſa res indicat. Unde in officinis proſtat confectio alkermes completa, & incompleta, quarum illa moſchum & ambram recipit, hæc verò non, & tamen utraque profligandæ melancholiæ deſtinatur, quod ideò factum eſt, quia hyſtericæ mulieres, atque multi melancholici & maniaci fumoſas moſchi & ambræ ex ventriculo ad caput adſcendentes exhalationes non perferre poſſunt.

Neutiquam igitur confectio alkermes convenit iis, qui ſanguinem fluidum & ſubtilem habent, ut neque iis, qui ad talem proni ſunt, exſpuitioni ſanguinis, hæmorrhagiis narium, menſium, hæmorrhoidum, obnoxii ſunt.

Externè lapis Lazuli imprimis in exſiccandis ulceribus vim & virtutem ſuam exerit. Senior Franciſc. Nicolini Romanus, lapidum precioſorum Mercator, pulverem quendam habuit, quo, id vidente & teſtante Mayerne, tract. 2. cap. 11. de morb. ext. maximas perfecit ulcerum curationes. Dixit hic vir, ſe varios habere pulveres è lapidum fragmentis in alkahol reductis conſtantes. Commendavit inter omes lapidem Porphyritem, Lazuli, aquilinum, & Smyridem durum.

Caput XIII.

De Nicotiana.

Nicotiana planta est exotica, atque primum ex novi orbis, qui ab inventore suo America nomen habet, provinciis ad nos transportata, jam verò etiam in nostris terris culta. Virginiana & Brasiliensis omnium optimæ esse censentur. Non sunt adhuc ducenti anni, â quibus usus ejus nostratibus innotuit.

Hæc herba, sive vitia ejus spectes, sive virtutes, helleboro albo consimilis est naturæ. Quippe acris, caustica, sternutatoria, naribus attracta pituitam ex iis, masticata ex ore eliciens, emetica, purgatoria, si internè sumatur, immo nisi caveas, periculosa, venenosa, convulsionem & mortem affert, & juvando, & nocendo, ut venena solent, non medica.

Venenositatem ejus quam maximè prodit oleum ex eâ destillatum, cujus guttæ aliquot, si animali dentur, tanquam præsentissimum venenum, illud statim interimunt.

Aliquot personæ brodium prunorum " damascenorum, cui frustulum tabici â quo-" dam homine malitioso additum, & inco-" ctum fuerat, sumunt. Omnes insigni cordis" anxietate, lipothymiâ corripiuntur, vo-"

munt,

munt, semimortuæ jacent, adstantibus Sa-" cerdotem, Medicum, Chirurgum, agnatos," accersentibus. Vide observat. D. Gabriel." Clauder. 206. Ephem. Nat. Curios. Decur. 2. Anni 8.

Procurator quidam mihi familiaris, re-" fert Petrus Borellus centur. 4. histor. & ob-" serv. 31. ad tabaci usum provocatus â sociis" tandem accepit ejus fumum ore, sed nesci-" ens illum rursus evomere, fumum illum" hausit, unde se adeò malè habuit, ut icterum" sibi contraxerit, quo tamen liberatus fuit usu" conservæ flor. genistæ, & calendulæ, sed hæc" testantur venenati quid in tabaco latitare." Muscas observavi mortuas utplurimam in" officinis juxta tabacum.

Nocet tabacum, fungi, & quæ propter" occultum virus latè serpens, vires vitales" consternunt. Helmontius tit. Mortis occas.

Quare Joh. Schrœder. Pharmac. med. libr. 4 Class. 1. 229. in ejus usu cautione opus esse monet, exhiberi enim eam internè pro vomitorio, sed sat violento, quâ ratione curat febres, similesque morbos.

Digna sunt, ut adducantur, quæ de ejus utilitate notat, Zacutus Lusitanus de Medic. Princip. libr. histor. 29. observ. 23. Mirabilia sunt, quæ de nicotianæ utilitate referunt" authores, præsertim Monardus & Clusius," sed mirabilius est, quod de ejus efficaciâ pro" debel-

„debellando hoc morbo (epilepsiâ) expertus „sum. Plures natu grandes vidi, quibus plu„rima auxilia, nec cauteria in capitis ambitu „aperta, diuque servata opitulari potuerunt, „immo malo in pejus ingravescente, vitam „cum morte commutassent, accessionibus sæ„vissimis epilepticis prehensi, nisi hoc excel„lens, aut ut melius loquar, antidotum præ„stantissimum, tantum malum extinxisset. „Fuit autem serapium ex melle & succo foli„orum nicotianæ paratum, quo lambitivi mo„do, bellè prius purgato corpore, tribus horis „post cœnam, quadraginta dierum spacio, „quantitate trium unciarum usi sunt. & nul„lus unquam passus est recidivam.

Eadem confirmat Lazarus Riverius l. 1. pract. cap. 8. ubi syrupum de Peto Quercetani maximam vim ad curandam epilepsiam habere asserit; verùm non nisi à prudente Medico usurpandum, quia vehementissimum est remedium.

Quantum nicotiana ad epilepsiæ curationem contribuat, id D. D. Joh. Ludovici Hannemanni observ 51. decur. annor. 2. seu 3. Ephimer. nat. curios. docet, in quâ recensetur, quandam epilepticam per clysma ex decocto foliorum nicotianæ in cerevisiâ secundariâ facto, tantâ efficaciâ alvum & vomitum concitante, ut ægra animam agere videretur, cum sanitate in gratiam rediisse.

Deco-

Decoctum tabaci cum saccharo, & illius " fumus mirum est medicamentum ad rumpendam vomicam suppuratorum, seu empyematicorum, & Deum testor, me anno elapso à morte ad vitam revocasse quandam meam vicinam filiam Lauræ Bussæ, quæ jam per tres menses erat pleuritica, suppurata cum febre hecticâ, quæ ab hujus decocti sumptione per tres vices, & ab hujus fumo accepto tribus diebus plus sex libras puris albissimi tussi evomuit. Remedium ita præparatur. ℞ fol. tabac ℥j. bulliant in aq. fontan. libr 2. ad medietatis consumptionem, in fine adde fol. malv. branc ursin. viol. ā. man. 1. coletur, & cum saccharo misceatur, atque pluries calidè sumatur. Epiphanius Ferdinandus histor. med 32. Qui histor. 45. quandam virginem empyematicam per decoctum nicotianæ & ejus fumum, nec non terebinthin. ʒj. in aq. hordei lotæ & bis sumptæ, â quibus remediis secuta mira puris per tussim, & in multâ quantitate excretio, curatam, hæcque remedia eum nunquam decepisse, sed semper cum felicissimo successu se usum fuisse, itidem testatur

Ad asthma laudat syrupum ex decoctione tabac. tussilagin. ā. man. 1. coquendo in aqua ad tertiæ partis consumptionem, addendo sacchari parum.

Eosdem syrupos in pleuritide, asthmate

te, & empyemate præfert aliis omnibus remediis Joh. Michael Prax. part. 1. libr. 3. cap. 6. & 7. Confer etiam Mich. Ettmüller comment. in Joh. Schrœder. & Morell. de syrup. ubi syrupum de nicotianâ in dispnœa & asthmate infantum quoque commendat.

Hunc autem suum effectum nicotiana debet suæ virtuti vulnerariæ. Nam miram habet vim ulcera interna & externa ad consolidationem perducendi. Præterea crassos & viscosos humores incidit & attenuat.

Non minus oxymel suum de Peto extollit ipse Quercetanus Pharmac. Dogm. restit. libr. 1. cap. 10. descriptum. Ejus cochlearia aliquot jusu postulante exhibeantur. Est purgatorium, inquit, mirabile, non solùm pituitæ crassæ, sed & bilis flavæ, itemque nigræ, anhelosos thoracis & ventriculi affectus juvans, & denique ad omnes morbos inveteratos laudatissimum remedium. In ejus usu cautione & diorismo opus est, augenda enim vel minuenda dosis pro ægrorum ætate & viribus. Aliquando vomitum ciet, qui contingit ratione Peti, quod in vomitu provocando pares vires cum helleboro & antimonio habet, si solidarium, & per se exhiberetur. Sed alia purgantia, quæ admiscentur cum aceto (quod primas dotes in corrigendo & demulcendo obtinet) vehementiam ejus remittunt, & eorum ope præstantissimum & efficacissimum remedium constituunt. Ex-

Externè multiplex est nicotianæ usus, vel enim in formâ pulveris pro sternutatorio naribus attrahitur, vel folia exsiccata mastican-tur pro apophlegmatizonte, vel fumigatur, vel in cataplasmate, unguento, emplastro, decocto pro lotione applicatur externis partibus.

Nicotianæ folia viridia oculis imposita, eorum inflammationem & incendium extinguunt, atque cum cicutâ, solano, mandragorâ in oculorum doloribus similes habent virtutes ophthalmicas. vid. D. Joh. Dolæum Enclyclop. chirurg. libr. 1. cap. 10.

Eadem unguibus imposita, eorum inflammationes extinguunt, exemplum hujus rei vide apud Fel. Platerum observ. p. m. 488.

D. D. Waldschmidt in tineâ laudat fotus cum aquâ calcis vivæ, vel ferratæ, in cujus ℥xx. nicotian. man. ij. fuligin ℥ij. bullierint.

Nicotiana mammis imposita lac potenter discutit, authore Sandiez in observat. 5. Michael Ettmüller de lact. vitiis. p. m. 236. Et hoc nicotiana cum aliis herbis narcoticis commune habet.

Ejusdem folia cocta, & calidè collo imposita, strumas ejus resolvunt exemplo cujusdam Centurionis militis Galli, qui in filio suo ingentem strumam ita dispulit. Eadem in suggillatis â casu, contusione sanguinem extravasatum resolvunt. Lateri sinistro in regione lienis applicata scirrhosam ejus duritiem

tiem dissipant, obstructiones ejus reserant. Bubones, anthraces pestilentiales ad maturitatem perducunt. Ventriculo imposita ejus dolorem gravativum aufferunt, appetitum excitant. Calidè pubi imposita in mulieribus uterum earum calefaciunt; umbilico, vermes necant; membris podagricis, eorum dolores mitigant. In gargarismate calidè usurpata tumori uvulæ medentur. Decoctum foliorum, si eo caput lavetur, ejus ulcera sanat, si facies, ejus deformitates & pustulas dispellit, cutem scabie, impetigine, lichenibus, phthiriasi, lepra, achoribus, favo, corruptam & deformatam sanat. Refert Petrus de Crescentiis exemplum mulieris, quæ intra decem dies â fœdis faciei ulceribus per decoctum nicotianæ restituta fuit, postquam eo partes affectas lavasset. Unde Dan. Ludovici pro scabiosis essentiam nicotianæ commendat.

Nicotianam calidè parti ambustæ impositam, eam sanare testatur Joh. Schrœder.

Prostat in officinis unguentum ex nicotianâ, cui Joubertus miram vim in scrophulis dissipandis adscribit. Quod etiam in ulceribus recentibus & antiquis persanandis celebratur. Adusta quoque juvat, morphæam delet, tineam capitis exterit, & cutem â scabie mundificat.

Eodem unguento in omnibus vulneribus consolidandis, tineâ capitis, ejusque scabie

bie curandâ, pediculis abigendis miram attribuit virtutem Mich. Ettmüller. Comment. in Schrœder. & Morell. Nam notum esse, quod solum decoctum nicotianæ vulneribus infusum, vel si vulnera eo fuerint ablata, valde ad eorum consolidationem faciat. Decoctum guajaci cum nicotianâ fistulis pro earum consolidatione injiciendum esse idem præcipit loc. cit.

Unguentum Nicotianæ sine quo nullus Chirurgus esse debet. ℞. succi nicotian. vini albi, axung. human ā. q. s. coquantur perpetuò agitando ad succorum consumptionem. Coletur. hujus unguent. libr. 1 adde Mercur. præcipit. ℥j. plus minusve. Adde ceræ parum. & coque ad consistentiam. Si nimis sit validum, temperetur ovi vitello crudo agitato cum saccharo, addi quoque potest succus plantaginis,, terebinthina, & resina colophoniæ. Theod. Mayerne tract. 2. c. 2.

Heinrici Scretæ â D. Rosino Lentilio part. 3, miscell. med. descripti tale est. ℞. succ. nicotian. ℥iij. ceræ citrin ℥iij. resin. pini ℥iß. terebinthin. ℥j. ol. olivar. q. s. f. ceratum, quod adjectis ʒij. Mercur. præcipit. fortius reddi potest. Usus in ulceribus cacoethicis quæ mundat, consolidat.

Emplastrum antiquartium J. B. H. in thesauro Pharmac. Frider. Hoffmanni sect. 10. §. 12. describitur tale. ℞. tabac. q. vis, affun-

de

de s. q. vini, coque ad ebullitionem per dimidium horæ spacium, postea coletur, colaturæ adde mellis communis, ceræ & olei de capparib. s. q. f. emplastrum, quod tepidè lieni applicetur.

Nicotiana ingreditur etiam emplastrum D. D. C. ad scrophulosos, scirrhosos & nodosos tumores planè irresolubiles resolvendos, quod etiam loc. cit. §. 20. descriptum cap. de Cicutâ adducemus. Et hoc est certum in resolvendis & emolliendis tumoribus duris, scirrhosis nicotianam esse potentissimam.

Communissimus usus tabaci est ejus fumigatio, Olim cum primum hæc planta nostris hominibus innotuisset, solùm vilis plebecula hujus fumigationis studio tacta erat, melioris conditionis homines & nobiles horridum hunc & mephiticum odorem aspernabantur, donec tandem utilitate rem, ut fieri solet, commendante, etiam ad alios usus transiret. Commoda enim, quæ ab istiusmodi suffitu in corpus nostrum promanant, non sunt contemnenda, quicquid hîc dicant delicatuli, quibus hic fumus ingratus est, quicquid etiam illi, qui omnia vilia & communia remedia spernunt.

Scorbuto hanc fumigationem mederi omnes Medici credunt, at quot sunt morbi, qui â scorbuticâ sanguinis dispositione oriri dicuntur?

Omnes

Omnes affectus, quorum causam esse viscidum & lentum phlegma, vel atram bilem veteres Medici docebant, ii omnes â scorbuto provenire dicuntur, quales sunt catarrhi, obstructiones, scirrhi, maniæ, melancholiæ, epilepsiæ, scabies, quartanæ, immò Bentekoe omnem morbum scorbutum esse pronunciavit.

Ridenda profectò res est, quod seculum nostrum sæpius citra necessitatem, suam doctrinam terminis & verbis inusitatis involutum eat, & se minùs sapere credat, si artis terminos veteribus Medicis usitatos retineat, quasi altius rem penetret, eamque melius intelligat, qui dicit, morbos esse â scorbuto, quàm qui eos â pituitâ, atrâ bile provenire dicat. Mihi sanè hi termini probantur, qui quàm maxime ad usum practicum accommodari possunt. At modò dixi, plerosque morbos oriri â stagnatione succorum in vasis, quæ stagnatio potissimum phlegmati viscido, glutinoso, sanguinem incrassanti & inviscanti adscribenda est, quod phlegma viscidum & glutinosum egregie incidere & attenuare valet nicotiana herba acris & caustica, quo inciso & attenuato etiam ipse sanguis suam debitam consistentiam adipiscitur, & fluxibilior redditur. Unde qui dentium, aurium, capitis, articulorum, renum. coli, doloribus. tussi, melancholiâ, maniâ, epilepsiâ

tentantur, non sine maximo commodo nicotianam fumigant, vel ab his morbis se præservant, quia hi morbi â sero vel quantitate vel qualitate & crassitie peccante dependent, ita enim non solùm debita subsequetur pituitæ, & crassorum humorum attenuatio, sed etiam eorum concitatâ salivatione, quod etiam ab usu remediorum mercurialium fit, evacuatio, atque comoda, quæ contra dictos morbos ab usu fonticulorum, qui etiam in istiusmodi casu inuri & incidi solent, proveniunt, â suffitu tabaci majora sunt, quia in eo non solùm humores peccantes, quod in fonticulis etiam fit, evacuantur, sed etiam corriguntur, & attenuantur. Accedit, quod curatio per fonticulos multò molestior sit eâ, quæ per fumigationem tabaci perficitur. Quare miror mulieribus fumigationem tabaci non persuaderi posse, quæ tamen sæpius fonticulorum apertioni se subjiciunt. Nam si mihi optio daretur, mallem perferre fumum utcunque molestum, sed mox evanescentem, vel ex ore aquâ fontanâ eluendum, quàm exulcerationem cutis per incisionem vel caustica excitatam, & fœtentem ex iis quotidie profluentem saniem.

Quantum fumigatio tabaci hystericæ passioni resistat, curiosa observatio D. D. Michaelis Bernhardi Valentini Ephim. Nat. Curios. Decur. 2. Anni 2. observ. 149. docere potest, quam virtutem huic herbæ etiam Joh. Schrœderus, & alii adscribunt.

Circa

Circa modum suffiendi tabacum nihil monebo, cum ille omnibus notus sit, illud tantùm mihi contra omnem rationem dictum esse videtur, quod Bentekoe præcipit, inter fumigationem non exspuendum esse. Nam quia nicotiana, dum fumigatur, multum salivæ ex glandulis oris & faucium elicere solet, tunc omnis ea saliva, si non exspuenda, certè deglutienda esset, quod verò ventriculum novâ saburrâ excrementitiâ infarciret.

Verùm uti etiam alia nobilissima remedia non omnibus naturis conveniunt, ita etiam usus tabaci tàm internus, quàm externus, & suffitus ejus non omnibus (in quo erravit Bentekoe) suaderi debet. Nam qui humoribus acribus abundant, ad tabem proni sunt, item biliosi & sanguinei, usum tabaci non perferre poterunt.

Qui cibis crassis in diæta, aquis præcipuè stagnantibus, & cerevisia pro potu utuntur, iis salubrior erit usus tabaci, quàm iis, qui vinum imprimis forte & generosum bibunt. Nam phlegma viscidum, quod ab istiusmodi cibo & potu in corpore accumulari solet, acredine nicotianæ corrigitur, & evacuatur.

Nationes septentrionales, ut Angli, Belgæ, Germani, imprimis inferioris Germaniæ, Dani, Sueci, majore cum fructu tabacum fumigant, quàm Itali, Galli, Hispani, item populi qui paludes, maria accolunt, majore cum fru-

ctu tabacum fumigant, quàm qui mediterranea incolunt.

Non minus communis est usus tabaci in pulveribus errhinis & sternutatoriis per nares attractus, necq; minorem utilitatem tabacum hoc modo usurpatum affert. Nam pituitam lentam, viscidam incidit attenuat herba acris & calida, eamque ad nares trahit, quæ secus in corpore & sanguine relicta posset graves morbos capitis progignere. Nam multa pituita sanguinem incrassat, spiritus vitales obruit, sanguinem ad motum suum circularem peragendum ineptum reddit, unde obstructiones in cerebro, ex quibus apoplexiæ, morbi comatosi, memoria læsa oriuntur.

Ad usum tabaci naribus attrahendum sufficiat unicum exemplum attulisse. Quidam amicorum meorum per Galliam iter faciens in viâ gravi morbo tentatur, & ferè omnibus sensibus orbatus ad hoc tantum valere videbatur, ut, cum loqui non posset manus naribus admoveret, hoc ipso admonens adstantes, ut sibi tabaco errhino succurrerent, quod postquam factum, mensura dimidia seri ex naribus effluxit, ægerque levi remedio, quasi divino auxilio se sanatum fuisse prædicavit.

Nonnullis masticare nicotianam, ut Itali solent, consuetum est, neque id sine utilitate fit. serosâ & superfluâ sanguinis parte ita evacuatâ,

Caput.

Caput XIV.

De Lithargyrio, Cerussâ, Bismutho, Minio, & aliis ex plumbo præparatis.

PLumbum, quod a Chymicis Saturnus appellatur, & omnia ex eo parata, venenosa esse, pauci admodum negant, quorum verò rationes non tanti sunt, ut operosè reveilantur. Talia sunt plumbum ipsum, lithargyrium, cerussa, minium, bismuthum, nec malignitatis expertia magisterium, saccharum, tinctura Saturni. Symptomata, quæ ex eorum usu oriuntur, sunt dolores & cruciatus colici, vomit⁹, alvi obstipationes, icterus, quæ insequũtur motus impotentia in artubus, sensu tamen superstite, quam paresin vocant, tremor artuum, corporis consumptio, pruritus totius corporis, convulsiones & tandem mors non subito, sed lento gradu superveniens, sunt enim hæc omnia frigidissimæ naturæ, omnia autem frigida ventriculo, intestinis & nervoso generi sunt inimicissima, & si frigida alia intus sumpta, & extus applicata, dolores colicos, vomitus, paralyses parere solent, quanto magis saturnina in summo gradu talia. Hoc experiũtur cum suo damno figuli, qui lithargyrio vasa terrea incrustant, & inde in colicas passiones, tremores artuum incidunt.

Hoc quidam, cujus Petrus Borellus centur. 3. observation. 31. meminit, qui ab immodico sacchari Saturni usu in manibus & pedibus immobilis factus fuit, expertus est; nec non maniaca, quæ ab usu sacchari Saturni dolore colico fuit correpta, ut refert D.D. Vitus Riedlin lineâ 31. mens. Maj. ann. 1694. Hoc figulorum canes & feles, qui aquam in quâ lithargyrium est infusum, ebibentes inde contabescunt, & moriuntur, quod experimentum quilibet in canibus facere potest.

In hujus rei ulteriorem probationem paucis describemus historiam curiosam colicæ scorbuticæ, aliis spasmodicæ dictæ, quæ in nostris terris anno 1695 & anno 1696. multos pessimè habuit. Cum enim tunc temporis uvæ propter frigidam anni tempestatem non ad debitam maturitatem pervenissent, atque vina austera produxissent, Oenopolæ & Caupones nequam, quo vinis suis austeritatem adimerent, dulcorem iis conciliarent, eaque ad bibendum gratiora, & ad vendendum meliora redderent, instinctu Diaboli (ille enim est, qui tàm noxia consilia hominibus suggerit) tincturâ quadam lithargyrina mangonizare instituerunt. Tinctura parabatur ex lithargyrii pulverisſ. ℥vj. bismuth. ℥ij. in aceti vini mensur. 1. vel. libr 3. infusis, & ad quartæ partis consumptionem decoctis, addito postea vini optimi, vel hispanici tantundem,

dem, & liquore per chartam emporeticam filtrato. Hujus liquoris libra una, vel pluris in dolium vini unius & dimidiæ amphoræ capax pro eo edulcorando indebatur, ad quod perficiendum lithargyrium admodum aptum erat. Nam videmus ex minii & aceti particulis invicem solutis, deinde combinatis, pulverem confici, qui ob dulcorem saccharum Saturni appellatur. Qui istiusmodi vinis pro potu quotidiano utebantur, ii omnibus gravissimis symptomatibus, quæ recensita fuerunt, corripiebantur, atque inde vel miseram vitam ducebant, vel moriebantur, prout scilicet cuique vel magis, vel minus, vel debilioris, vel fortioris hujus vini lithargyrini ad bibendum obvenit. In hujus vini usu etiam illud observatum fuit, quod qui illud ex diversoriis aut hospitiis publicis petebant ab eo nullam læsionem notabilem sentirent; nam una vel altera vini ita corrupti mensura ebibita ad imprimendam corpori noxiam qualitatem non sufficiebat: qui verò istiusmodi vina in cellas suas recondebant, & quotidie inde bibebant, sanitatis & ipsius vitæ jacturam patiebantur, quod quia Monachi in cœnobiis facere solent, evenit ut vix unus vel duo eorum hâc peste intacti evaserint. Pessimum fuit quod diu ignoratâ hujus mali causâ, nec remedium ei inveniri potuerit. Ceterùm hic morbus tunc ita invalescens non erat inauditus, ut

quidam Medicus eum nominavit, sed jam ab aliis Medicis observatus & notatus, quod ex D. Joh. Wepfferi observ. 39. anni 4. Ephimer. Natur. Curios. patet. Inter alias personas, "recenset, & Monachi Dominicani colicâ cor-"repti, & convulsionibus mortui fuerunt, Pa-"tres enim vina alba, austera, Alsatica, & tæniâ "sulphuratâ, dulci appellatâ, aniso, coriandro, "cinamomo, & bismutho consperſa corrupta "biberunt, & vix unus & alter hoc malum e-"vitare potuit, quod hujus mali causam fuis-"se credo. Nam bismuthum jamdudum Jor-"danus tanquam causam hujus morbi in Mo-"raviâ condemnavit, & quem effectum plum-"bum pulverisatum, & in corpus sumptum "habeat, id ex Fernelio & Palmario sciri pot-"est.

"Similem colicam etiam delineavit Gre-"gorius Horstius. Item Oethæus apud Joh. "Schenckium libr. 5. observ. 184.

Quomodo Saturnina remedia immoderatè sumpta inflammationes & incendia interna, licet sint frigida, excitent, in nostro tractatu de Paradoxis Medicis fuit ostensum.

Præter hæc etiam authoritates Sennerti, Schenkii, Foresti, & aliorum, Saturninorum malignitatem probant.

"Cerussa vires habet stipticas, sed ex vino "& aqua pota venenosa esse dicitur, ut libro "de simplic. Medic. Galeno adscripto p. m. 81.

Lithar-

Lithargyrium, spuma argenti, eadem" præstat, quæ præstare cerussam diximus. l. c." p. 90.

Licet autem Saturnina sint venenosa, si immoderatè usurpentur, non tamen eorum usus internè & externè in medicinâ est contemnendus, si prudenter & moderatè iis utamur.

Saccharum & magisterium Saturni inter-" nè adhibitum chyli & massæ sanguineæ," lymphæque acidum mirificè compescit, fer-" menta febrilia extinguit, & internis viscerum" inflammationibus medetur. Frider. Hoffm." Clav. Schrœder. libr. 3. cap. 15. §. 51.

In tincturis Saturni non minimi momenti arcana latitant in mania, melancholia, quartana, phthisi, melancholia hypochondriaca apprimè conducentia. Idem loc. cit. §. 16.

Ettzlerus in sua Isagoge, uti de eo Johan. Schrœder, Pharmac. libr. 3. cap. 13. 5. p. m. 392. ex plumbo confici medicamenta ad longævitatem facientia, quod judicium ego nimio in saturnina remedia favori tribuo.

Saccharum Saturni, ut & alumen, in dysenteria sunt egregia remedia. Joh. Dolæus Encyclop. Med. Dogmat. libr. 3. cap. 5.

Species diasaturni Minsichthi armament. pharmac. sect. 5. p. m. 106. sunt sequentes.

℞. magist. Saturn. ℥j. succ. liquirit. pur-

 gat.

gat. lactis sulphur. compos. rad. chin. elect. ā. ℥iij. sal. margar. orient. corall. rubr. panis tritic. ā. ʒij. boli rubr. orient. præp. benzoe sublim. oliban. ā. ʒj. croc. orient. cass. lign. ā. ʒß. misce f. pulvis subtiliss. cui adde sacchar. cand. ℥iij. dosis manè & vesperi ʒß. ad ʒj. in aqua appropriata. Nescio quibus verbis incomparabilem compositionem extollam? Phthisis enim, quæ humana arte non curari potest, curatur sæpè hac medicina. Minsichth.

Rotulas refrigerantes, magisterium Saturni in se recipientes, ad cor & hepar supercalefactum alterandum, & omnes inflammationes tam internas, quàm externas modestè delendas idem describit. loc. cit. sect. 8.

"Saccharum Saturni est remedium poly-"chrestum in malo & melancholia hypochon-"driaca, & beneficio ejus aliquot curatos no-"vi in affectibus splenis, in scorbuto, co-"lica, & aliis morbis. Michael Ettmüller. Schrœder. Dilucidat.

Ad sanguinem in hæmophthisi temperandum, ejusque impetum retundendum Theodor. Mayerne libr. cap. 4. Prax. sacchar. Saturn. gr. v. ad gr. x. cum conserva rosarum præscribit.

Tinctura antiphthisica Garmanni in Theod. Zwinger. tract. german. sine talis describitur. ℞. sacchar. Saturn. vitriol. Mart. ā. ℥ij. spirit. vini acet. destill. ā. ℥ß. misceantur,

&

& per aliquot dies digerantur donec liquor rubicundus fiat, qui filtretur. Hæc tinctura pretiosissima est in apostematibus internis, hæmophthisi, phthisi, sudore nimio, fluxu alvi, dosis á guttis x. ad xxx. Etiam appetitum deperditum in his morbis reducit. Hanc tincturam etiam D. Medici Augustani dignam censuerunt, ut eorum corpori Pharmaceutico insereretur.

Ex sacchharo Saturni & vitrioli Veneris " vel Martis mixtis, & affusione spiritus vini " fit tinctura illa admirabilis, quam tincturam " antiphthisicam vocant, valde astringit, & " ingens habetur secretum in consolidandis " pulmonum & aliarum partium exulcerati- " onibus. Ettmüller Schrœder. diluc.

Utplurimum Medici Saturninis virtutem antivenereram attribuunt, quanquam Dan. Ludovic. Pharmac. modern. dissert. 1. de Robor. temperat & infrigid. p.m. 745. eam in Saturninis claudicare affirmet, attemperantem verò vix decimo ferventiorum hypochondriacorum aut tabidorum quadrare, phthisicis autem perperam conferre, sæpe dejectos horum omniũ ventriculos magis pervertere. Sunt enim hypochondriaci, phthisici ut plurimum ventriculo deboli, cujus robur intensa remediorum Saturninorum frigiditas omninò exsolvit, quod ego ab usu eorum accidisse in quodam Comite hæmoptoico vidi.

Qua-

Quapropter in exhibendis iis maximâ cautelâ opus eſt, atque ea ſolummodò iis, qui ventriculi, inteſtinorum, & nervorum robore præditi ſunt, quales ſunt maniaci &c danda. Neque in doſi & quantitate excedendum eſt. Nam tria, quatuor, vel quinque grana ad ſummum ſufficiunt pro unâ doſi, cavendum præterea, ne ob nimis diuturnum eorum uſum nervis indelebilis labes contrahatur, quod iis, qui nimis frequenter vina lithargyrio corrupta biberunt, accidiſſe diximus.

Externè major & tutior eſt Saturninorum uſus & effectus.

Saccharum Saturni, ſeu ejus magiſterium in aqua roſarum, euphraſiæ, ciliis impoſitum oculorum inflammationi & rubedini confert. Johann. Schrœder. Pharmac. libr. 3. cap. 12. p. m. 390.

Philipp. Grulingius curat. 51. rubedinem oculorum cum lacrumis acribus miraculosè curatam fuiſſe refert ſequente. ℞. aq. roſar. ℥iiß. tutiæ pp. ʒß. ſacchar. Saturn. lapid. calaminar. ā. ℈j. m. f. aqua guttatim oculis inſtillanda.

Ab alio laudatur aquæ roſar. ℥j. ſal. armon. ℈j. tutiæ pp. camphor. ā. ʒß. ſacchar. Saturn. ℈ij. m.

Mira quoque præſtat ſaccharum Saturni in ulceribus corroſivis, malignis, cancroſis, impetiginibus, ambuſtis, inflammationibus.

Ejus-

Ejusdem virtutis ſunt ceruſſa, minium lithargyrium.

Ex lithargyrio non ſecus ac ex minio ſal paratur, quod Paracelſus alumen Saturni nominat, quod internè in diarrhœis, dyſenteriis, & reliquis morbis liquidis ſanandis conferre aſſerit. Illud paratur lithargyrium in aceto ſolvendo, ſolutionem decantando, filtrando, ac inſpiſſando.

Ad externos uſus in officinis proſtat unguentum album, de Ceruſsâ, album camphoratum, unguentum de Minio camphoratum, de lithargyrio. Hæc proſunt ſcabiei & cutis vulneribus, pruritum & deſquammata juvant, ſine morſu ſiccant, ſarcotica & epulotica ſunt, ambuſtis & excoriationibus medentur. Unguento lithargyrino longè præſtantius, & ad affectus denominatos efficacius fieri vult Zwœlfferus, ſi lithargyrium, aut quod melius, minium in aceto ſolvatur, ad olei craſſitiem inſpiſſetur, & ſub continuâ agitatione olei roſarum, quantùm ad unguenti conſiſtentiam ſufficere videbitur, ammiſceatur. Hoc unguentum Joh Schrœder. Pharmac. Med. libr. 2. cap. 87. §. 11. Balſamum *S*aturni vocat.

Inter emplaſtra ad dictos affectus efficaciſſima & uſitatiſſima, minium, ceruſſam lithargyrium in ſe recipientia, eſt emplaſtrum album coctum, emplaſtrum Ulmenſium, diachylum ſimplex, gryſeum de lapide calaminari,

nari, triapharmacum Mesue, Noribergensium.

ANtidotum venenorum & remediorum Saturninorum immoderatè sumptorum sunt, quæ amicâ calefaciendi virtute malignam frigiditatem nervis impactam corrigunt, qualia sunt imprimis terebinthinata, & ejus spiritus seu oleum, cujus guttæ aliquot internè sumi possunt, inservit etiam oleum destill. masticheS, cinamomi quàm maximè, si vomitus cum dolore colico sit conjunctus, quod ferè semper accidit; hæc remedia, quia in paucâ quantitate sumuntur, in morbo, qui remedia propter nauseam & propensionem ad vomitum in magnâ quantitate exhibita fastidit, ad usum sunt valdè accommodata. Laudatur etiam oleum ceræ destill. Hæc & istiusmodi fuisse proficua non semel ipse expertus sum, si enim in totâ rerum natura res quæpiam afflictum genus nervosum consolatur, est certè terebinthina, & illa quæ modò laudavi.

Nonnunquam vinum Malvaticum convenit. Venæsectiones nocentissimas esse in plurimis â vinis lithargyriatis decumbentibus observavi.


Conferunt etiam internè, quæ spasmodicam constrictionem intestinorum emendant, eaque relaxant, qualia sunt pinguia, ut

pingue-

pinguedo anserina, si modò talia sumere nausea ventriculi permittat. Hæc cuidam viro colicâ spasmodicâ decumbenti admodum profuisse scio.

Commodius verò talia in anum per clysteres infundi possunt. Ut clyster ex æqualibus partibus olei communis, vel liliorum alborum & lactis vaccini, vel alius ex decocto emolliente, pinguedine & oleo quodam sine sale & aliis acribus paratus, vel clyster ex solo oleo olivarum.

Externè fotus conveniunt, sed omnia superant thermæ, ut Carolinæ potæ, vel pro insessu, Piperinæ, Ferinæ, & nostratium Thalfingenses, quarum usus præcipuè est, cum malum in paresin transierit.



Caput XV.

De Opio.

HActenus de iis venenis egimus, quæ qualitate suâ caustica, corrosivâ, irritativâ non solum nocent ut venena, sed etiam prosunt ut optima & generosa remedia, sequuntur jam ea venena consideranda, quæ hisce contrariam habent virtutem, & facultatem corporis nostri animalem obstupefaciunt; atq; uti priora humores in corpore nostro tenaces, viscidos pituitosos, obstructionum

onum authores incidunt, attenuant, ita quædam horum humores nimium fluxiles incrassant, eorumque nimiam fluiditatem corrigunt; illa porrò facultatem animalem torpidam excitant, hæc nimis vegetam torpidam reddunt; illa dolores faciunt, hæc eos tollunt; illa spiritus irritant, hæc irritatos demulcent, illa humorum acrimoniam augent, hæc mitigant, qualia sunt opium, hyosciamus, cicuta, mandragora, baccæ solani, cynoglossa, crocus. Hanc autem suam virtutem debent sulphuri narcotico, inebriativo, volatili, quo prædita sunt, quod ab opiatis in corpus sumptis, exterius ei applicatis calore resolutum ad cerebrum & nervos transmittitur, quod satis probat teter & gravis odor, qui ex iis exhalat, & qui etiam solùm per respirationem in corpus receptus virtutem suam venenatam & medicam exerere potest. Sic opium, mandragora, gravissimum de se odorem spirant, sic cicutam viroso odore suam perniciem indicare dicit Frider. Hoffmann. Pharmac. Schrœder. libr. 4. sect. 1. §. 109. Immo nec reliqua stupefacientia, licet non ita virulenta, hujus odoris expertia sunt, ut vini spiritus, mustum ejus. Unde hæc venena omnia ex regno vegetabili sunt & petuntur, metallica verò & mineralia fixioris sunt naturæ, nec ea præstare possunt. Sulphur narcoticum, inebriativum dixi iis inesse, quia ea non secus ac vinum,

vinum, spiritus vini copiosius hausta, sensibus torporem inducunt, & dementant.

Horum venenorum antesignanus est opium. Illud venenum esse nemo negabit, qui considerat, quantillum ejus in corpus sumptum hominem in sanitatis & vitæ periculum conjicere possit, & quod drachma dimidia, vel non tantum ad hominem occidendum sufficiat, dum sensibus omnibus lethalem torporem infert, & spiritus vitales in cerebro non secus ac fumus ignem, planè suffocat, & extinguit. Hunc effectum plerique Medici, & inter eos Exc. D. D. Georg. Wolffgang Wedelius tract. Opiol. libr. 1. sect. 1. cap. 11. rectè adscribunt effluviis ex opii corpore exhalantibus, & ad cerebrum ascendentibus, quod teter & abominabilis odor opii satis probat, tùm quod recentis opii vires multò sunt vegetiores, quàm vetusti, in quo sensim & sensim exhalantibus sulphuris narcotici volatilis effluviis, simul etiam perit omnis vis narcotica; atque opium hanc suam virtutem per ἀναθυμιάσιν exserere cum modò laudato D. D. Wedelio tamdiu credemus, usque dum Helmontii asseclæ suum sulphur vitrioli anodynum nobis demonstrant.

In tanto tamen veneno tot & tantas simul latere in morbis curandis virtutes medicas nemo facilè credere posset, si non quotidiana praxis medica id sufficientissimè testaretur.

retur, quas uti hodie nemo Medicorum in dubium vocat, ſed potius omnes laudibus efferunt, ita nobis idipſum ſentientibus cum nullo erit controverſia. Hoc tantùm admirari liceat, maximam partem Medicorum ſibi contradicère, dum remedia ex claſſe venenorum deſumpta abhorrent, ad eorum uſum clamores ſuſtollunt, dicendo, ea eſſe naturæ inſenſiſſima, balſamo vitæ inimica, peculiari qualitate ſpiritibus & cordi infenſa, qui tamen non ſolùm ad uſum opii connivent, ſed etiam ejus encomiis tota volumina replent, cum tamen opium in paulo largiore quantitate, vel imprudenter exhibitum, tam formidandum ſit venenum, quàm aliud in totâ rerum naturâ reperiri poteſt. Nam ſi malignam qualitatem in aliis venenis abominantur, cur non eam etiam in opio fugiendam eſſe cenſent? Hîc cum Dan. Sennerto Prax. libr. 6. part. 5. cap. 1. reſpondebunt multi in opio duplicem contineri qualitatem, unam venenatam, malignam, alteram medicam, ſalutarem, benignam, nec opium in uſum medicum venire poſſe, priusquàm per legitimam correctionem omnis ejus venenata qualitas ab alterâ ſalubri ſeparata & ſublata eſt. Unde Helmontius tit. de Duumvir. illum ægrotum felicem prædicat, cujus auxiliator Medicus ſcit lethalia à papavere ſeparare, retento auxilio excitatore poteſtatis in Duumvirat. Alii ſulphur

phur narcoticum venenositatis in opio accusabunt, in quo summovendo admodum soliciti sunt; unde quis Medicorum est, qui singularem & arcanam opii præparationem, quod laudanum opiatum vocant, & quo unusquisque ægrotorum sine periculo & incommodo uti queat, non sibi arroget? At mihi arduum non est probare, eam ipsam qualitatem, quæ venenata & narcotica est, esse salutarem, si in justâ dosi, & prudenter opio utamur. Nam tota antiquitas crudo opio usu fuerat, & tamen ea in doloribus sedandis, vigiliis tollendis, diarrhæis, dysenteriis, hæmorrhagiis, catarrhis, tussi compescendis, & aliis morbis curandis non fuerat infelicior, quàm moderni Medici, quod Philonia Mesue, Tharsense Galeni, pilulæ de cynoglossa, requies Nicolai, & aliæ in eorum libris annotatæ, & adhuc hodie â multis usurpatæ innumeræ compositiones probare possunt. Sin verò Medici moderni fidem detrahunt experimentis antiquorum Medicorum, digni sunt, ut nec fides habeatur suis. Quanquam nec omnes Medici recentiores opii crudi usum fugiant, inter quos sunt Viri nostro tempore clarissimi Zacutus Lusitanus, qui de Medic. Princip. libr. 1. histor. 40. quæst. 29. expresse affirmat, etiam opium incorrectum in usum medicum venire posse, & Dan. Ludovici dissert. 1. de anodyn. & epicerast. p. m. 662. o-

pium etiam crudum necessitatis tempore securè, modò (ceu ejus generis omnia) competenti subjecto, morbo, tempore dosique detur, exhiberi asserit. Quos sequitur Cornelius Bontekoe & alii. Præterea nonnullæ nobilissimæ remediorum sunt compositiones, quæ crudum opium in se admittunt, ut Diascordium Fracastorii, Philonium Nicolai Mirepsi, pilulæ de Cynoglosso, quibus experientissimi Medici etiam adhuc hodie contra morbos uti non dubitant, easque in virtute medicâ non inferiores quovis laudano opiato experiuntur. Quod non fieri posset, si opium duas, & sibi invicem contrarias qualitates in se foveret, quia venenata in crudo opio salutari semper impedimento esset. Si igitur in praxi medicâ accidat, ut â crudi opii sumptione ægrotis noxæ & pericula obveniant, id non tàm intermissæ præparationi, quàm imprudenti opii usui, vel nimiæ ejus dosi adscribi meretur, ceu quoque duplex ille effectus opii, nempe salutaris & venenatus, anodynus & narcoticus, non statim probat duplicem opio inesse qualitatem, cum eæ solummodò ab imprudentiâ vel prudentiâ præscribentis Medici, & non ab ipso opio dependeant. Unde si quis in præparando opio qualitatem ejus venenatam & narcoticam aufferre studeret, servata tamen ejus qualitate anodynâ & salutari, is laterem lavaret, quia sublatâ narcoticâ qualitate certissime etiam

etiam periret anodyna, quæ, ut rectissimè sentit D. Georg. Wolgang Wedelius tract. opiol. libr. 1. sect. 2. cap. 2. non specie, sed tantùm gradu differunt, & quia in qualitate venenatâ, narcoticâ ipsa virtus anodyna medicatrix residet.

Placet hoc illustrare exemplo vini. Illud qui moderatè bibunt, inde alacres & cordati evadunt, & ab usu vini eum effectum sentiunt, quem præstat nobilissimum remedium cordiale & corroborans; qui verò eo immoderatè utuntur, effectum ex eo sentiunt, quem dat trùculentissimum venenum. Nam de irant, vociferantur, rixantur, somno profundo obruuntur, vertigine, capitis dolore corripiuntur, vomitus instant, & alia pessima accidunt, quæ solent epoto veneno fieri. Si jam quis hunc diversissimum effectum â vino productum considerat, & judicaret duplicem vino inesse qualitatem, unam confortativam, salutarem, naturæ amicam, alteram venenatam, noxiam & naturæ inimicam, atque eam consistere in sulphure quodam impuro, volatili, narcotico inebriativo, atque vinum hoc suo sulphure orbare, & ita corrigere instituerer, an non vinum etiam simul privaret illâ alterâ salutari, & corroborante virtute? & si vino detraheretur suum sulphur & spiritus, quid amplius ei restaret, nisi inutilis lympha? Qui hoc non credit, consideret modò quali-

tates spiritus vini, cui vinum ferè omnes, quos modò recensuimus, effectus debet. Nam is, si moderatè sumatur, cor confortat, calorem nativum suo amicabili calore auget, atque propter suas præstantes vires aqua vitæ vulgò nominatur. Sed is ipse spiritus, si immodicè ingurgitetur, deliria & narcosin inducit, & hoc modo veneni personam induit, multa noxia patrat, & ipsam mortem infert. Exinde ad oculum demonstrari potest, salutares & noxias vini virtutes ab uno ejus spiritu provenire, atque narcoticas & noxias ei non adimi posse, nisi etiam simul salutares pereant, & vinum non qualitate, sed quantitate venenum & noxium, & in ejus usu optimam cautelam esse, eo moderatè uti: Quod ipsum etiam circa venena narcotica, caustica, emetica, & purgantia observari debet, quæ intacta, & qualia natura produxit, relinquere, multò melius esset, quàm per irritas correctiones unâ & medicas salutares, & venenatas auferre, cum noxa eorum per moderatum usum evitari queat.

Quare multi hodie peccant, qui dum opium præparare & corrigere intendunt, illud omni suâ virtute per nimias vexationes spoliant, quod etiam in præparationè causticorum remediorum fieri supra notavimus. Hujus culpæ rei sunt, qui cum Quercetano, Hartmanno, Brendelio, Zwelffero, opium supra

ſupra patellam ferream igni imponunt, atque torrent, quo ſulphur ejus narcoticum exhalet, qui verò modus admodum improbatur modò laudato D. Wedelio. Mirum, inquit," quod authores nonnulli liberare contendant â ſulphure ſuo narcotico opium, cum" tamen illam ipſam intendant, quærantque &" expectent virutem ex eo. Non caſtrandum" eſt opium virtute narcoticâ, non ſulphur narcoticum ſeparandum, aliâs evanidum fiet, &" nullarum virium, ſed heterogenea ſunt removenda. Nam opium ſi torreatur ſupra" carbones, unde flamma excitetur, quomodo ero certus, quod non vis illa, quæ operationem narcoticam efficere debet, torrefactione pereat, & ſaltem noxia abeat, hâc illæſa." ut illa M. Maieri de ſept. mundi planet. cap." 1. huc applicemus, ubi mirandum eſſe ait," quoſdam promittere horum â ſe præparatorum medicamentorum, aliâs fortiſſimorum" doſes duplices, aut triplices, immò ut pro" ſaccharo tutò aſſumi poſſint abſque noxâ," cum tamen ab innatis viribus multum ſpolientur, & deſtruantur.

Hîc recordor cujuſdam joci. Quidam videns virum â capite ad calcem cataphractum, miratus eſt ſtaturam hominis, eique dixit: Tibi tam probè munito, & undiquaque ferro incincto nullus nocere poterit, regeſſit vir cataphractus: Hoc eſt verum, at etiam ego nulli nocere poſſum, quippe tantum ferri

pondus me onerat, ut ferè corpus non movere queam, nedum defendere, si illud ab hoste impeteretur. Huic viro cataphracto similia sunt opiata, & alia venenosa remedia præposterè præparata. Nam verum est ea non nocere, sed etiam verum est ea nihil juvare.

Quàm injustè sulphur narcoticum volatile malignitatis venenosæ accusetur porrò probat, quod opium vetustum, & in quo per longam moram illud sulphur omne exhalavit, ad usum medicum iners esse putetur. Unde etiam ipsi Medici ad multos casus & morbos sanandos theriacam recentem, in quâ opii vires adhuc iintegræ, præstantiorem esse judicant vetere, in quâ vires opii jam evanuerunt.

Nec melior ille modus opium præparandi est, qui fit per acida, Nos, ἐπικρίσις est e-
"jusdem D. Wedelii, in genere quidem luben-
"ter concedimus ab acidis obtundi opiata,
"figi eorum sal volatile, & hinc tutius ea assu-
"mi posse, sed an id fiat virtutibus & qualita-
"tibus, quas tamen exinde elicere animus est,
"illæsis, de eo mirum quantum dubitemus.
"Hinc ut illa ex Glasero vertamus Traitté de
"la Chymie libr. 2. cap. 11. 322. qui conside-
"rant in opio partem sulphuream volatilem,
"& salinam internam, quibus primariò suam
"debet virtutem, ea verò cum acidis habet con-
"trarietatem, tantùm abest ut corrèctionem il-
lis

lis perfici credam, ut potius multum, si non" totum, destruatur & castretur. Deinde qui" præparavit opiũ, seu ejus extractum confe-" cit cum aceto, negare non poterit, remanere" multum de salinis acidis aceti particulis, quæ" nares odore constante abundè & mordicant," & feriunt, ut adeò imminui ex parte saltem," si non maximè ob acres acidosque humores" vim leniter demulcendi dolentes partes, &" poros cerebri occludendi, certo sit certius."

Ex hisce patet â Veterum Philoniis, & opiatorum compositionibus, utut ex multis Medicorum hodie inconcinnæ esse videantur, in morbis curandis majus auxilium impetrari posse, quàm à nonnullis nostratium laudanis opiatis; porrò patet falsò dici opium crudum semper esse noxium & venenatum, cujus malignitatem & effrænem agendi vim per accisam ejus dosin, prudentem & tempestivam exhibitionem castigasse nobis sufficit, quia in crudi opii, vel (ne omnem opii correctionem & præparationem omninò sprevisse videamur) ejus purificati, vel cum spiritu vini optimè rectificato, uti Crollius vult, qualesque sunt pilulæ narcoticæ Plateri, extracti grano uno, tantas deprehendere vires licet, quantæ vix in aliquot granis ejus ita miserabiliter vexati. Est enim spiritus vini cum opio homogeneæ naturæ, quicquid contra Crollium hic dicat Hartmannus, Brendelius, Schrœde-

rus, Ettmüllerus, qui contendunt, per spiritum vini sulphur opii narcoticum naturæ inimicum ferocius reddi. Nam negatur illud sulphur naturæ semper inimicum esse, quandoque enim, si spiritus ferocientes. irritati sedandi sunt, est maximè amicum. Ad reliqua respondet D. D. Wedelius loc. cit.

Sed præter laudatum præparandi opii modum, etiam eum admittendum esse censeo, quo fœtor opii sumentibus admodum ingratus removetur, quod fit in præparatione laudani cydoniati Langelotti, cujus descriptio etiam in Pharmacopœiæ Augustanæ ultimâ editione extat. Vel qualem proponit Theod. Mayerne Prax. libr. 1. cap. 18. & pulchrum secretum non omnibus revelandum esse ait. ℞. opii ℥j. illud docente Saladino cum duobus capitibus allii pistetur, deinde hæc mixtura per alembicum destilletur. Mirabiliter somnum provocat, & erit sine fœtore.

Crudi opii, vel extracti ejus simplicis, dosis grana tria non transcendere debet, uti nec in laudano quantitas major sit pro una dosi quàm ad summum grana quinque, quod probat laudanum opiatum, cui suas noxias qualitates omnes per solicitam præparationem se adimisse, multi Medici & Chymici jactitant, nihilominus esse periculosum, summ cum cautione, & ferè non aliter ac crudum opium, remedium usurpandum esse, atque

etiam

etiam illud non omnem venenositatem deposuisse, & non tam in separatione qualitatis noxiæ ab utili, quàm infractione virtutis narcoticæ opii correctionem consistere. Nam si ut plurimi volunt, in laudano facta est separatio qualitatis noxiæ ab utili, qui fit, quod ejus paulo largior dosis, aut intempestivus usus mortem inferat?

In quibus morbis opium conferat omnibus Medicis jam antea notum, nec opus est hîc referre, uti nec formulas remediorum recensere est necessarium, quia omnes Medicorum libri compositionum opiatarum pleni sunt, ex quibus expeti possunt.

Magis paucis dicendum venit, quibus naturis, morbisque opium non conveniat, quæ est altera cautela, quâ observatâ opium ex veneno in præstantissimum remedium evadit.

Et primò opium venenum & noxium esse credo omnibus, qui obstructionibus hypochondriacis, alvi, urinæ, mensium, hæmorrhoidum sunt obnoxii, item iis, qui cachexiâ, asthmate, hydrope, laborant, & ad soporem, apoplexiam proni sunt. Nam in his morbis sanguis, chilus sunt crassi, tenaces, nec ope fibrillarum nervosarum sese contrahentium (uti in statu naturali fit) quibus viscera & partes omnes membranosæ præditæ sunt, propelli, nec excrementa per alvum, urinam, segre-

gregari, & ê corpore ritè eliminari possunt, quapropter absurdum esset, dictas partes nervosas, membranosas, quæ jam tùm ad promovendos & excernendos humores, & officium suum præstandum non sufficiunt, datis remediis narcoticis magis affligere, cum potius ea istiusmodi remedia requirant, quæ iis calcar & stimulum addant, & segnem eorum torpidamque virtutem excitent.

Intutissimum etiam est remedium opium in morborum statu & fine, viribus naturæ jam â morbo prostratis exhibere, etenim medicamentum facultati animali infensum eam sine dubio proculcabit.

Neque virium summa debilitas in febribus malignis & peste opium admittit, licet vigiliæ perpetuæ hos affectus sæpius comitari solitæ ejus usum suadere videantur.

In affectibus mulierum hystericis etiam cautè admodum cum opiatis est mercandum.

In pervigiliis infantum & eorum tussi melius est omittere usum opii, ceu remedii infantibus nimis fortis, atque ei substituere syrupum de papavere simplicem, diacodium Montani.

Hæ cautelæ si probe observentur, opium non erit venenum, sed laudatissimum remedium, sacra anchora, ultimum Medicorum & ægrotantium refugium, & omnes eas laudes explebit, quibuscum authores illud exornare consueverunt.

Opium

Opium, si cui per malitiam aut errorem in nimiâ quantitate, vel contra methodum medendi exhibitum peccat, quàm optimè debellatur acidis. Castorium est & creditur specificum opii antidotum.

Nec segniora sunt facultatis animalis sopitæ excitatoria salia volatilia urinosa, caustica nonnulla, ut pyrethrum, euphorbium, quæ antiquitas Philoniis suis ammiscuit, quamque nos imitari possumus, non ut frigiditatem opii istiusmodi calidissimis, quod veteres statuebant, corrigamus, sed ut remediis acribus, & irritandi nervosum genus virtute præditis opii vis narcotica quodammodo temperaretur.

Similiter emetica, maximè in principio exhibita strenuam operam navant, tùm quia venenum in ventriculo stabulans per vomitum ejiciunt, tum quia facultate suâ irritativâ facultatem animalem sopitam excitant.

Pessimè verò ab opio sumpto ægrotantibus consuli credo per theriacam, si sit recens, quia ea opium in suam compositionem admittit, cujus virtus in recente theriacâ adhuc permanet, nec verum est theriacam omnium venenorum universale antidotum esse.

Externè aceta possunt naribus admoveri, idque vel simplex, vel rutaceum, nec spiritus salis armoniaci vitro orificii angusti naribus admotus, & odoratus inconveniens est

reme-

remedium, ut neque balsamus rutaceus, castoriatus. Suffumigium naribus excipiatur ab accenso ligno aloes.

Suppositória acria, qualia in apoplexiâ solent usurpari, ano indantur.

Clysteres itidem in anum sunt injiciendi ex decoctis radicum & herbarum cephalicarum constantes, adjectis eléctuariis acribus, sale gemmæ copioso &c.

Vesicatoria cervici applicentur seu nuchæ.

Ustiones, punctiones, frictiones dolorificæ instituantur. Nam dolor spiritus commovet, humorum orgasmum excitat, & torporem nervoso generi inductum excutit.



Caput XVI.

De Hyosciamo.

HYosciamus ex genere plantarum est, cujus radix, folia, & præcipuè semen in usum veniunt.

Venenosum, immo deleterium eum esse probant gravia symptomata, quæ ab ejus intra corpus sumptione proveniunt, quorum præcipua sunt sensuum torpor, deliria, & nonnunquàm mors.

An in remediorum numerum hyosciamus venire queat, inter Medicos adhuc controvertitur. Fride-

Friderico Hoffmanno Pharmac. hyosciamus ob pessima, quæ infert, symptomata, à venenatâ & narcoticâ ejus vi dependentia, internè exhibitus semper est suspectus.

Joh. Schrœderus Pharmac. hyosciami usum internum propter vim suam stupefactivam rarissimum esse ait.

Dan. Ludovici Pharmac. modern. dissert. 1. de anodyn. hyosciamum quamvis alkalinis acidisque mitigari videatur, ob restitantem nihilominus turbulentiam consultius topicis nonnullis, efficacissimis inde anodynis, mollientibus & resolventibus destinari judicat.

Theophilus Bonnettus Mercur. Compitalit. libr. 19. Sylloge de anodyn, narcot. §. 9. hyosciamum ob impurum, indigestum, & naturæ inimicum sulphur internè propinari nefas esse statuit.

Horum sententiam sequitur Michael Ettmüller. comment. Ludov. de anodyn. ubi usum hyosciami internum acriter perstringit, eumque propter gravia symptomata, quæ in paulo majore dosi exhibitus excitat, potius externis usibus accommodandum, nec Helidæum Paduanum, & Heurnium, qui semen hyosciami contra hæmophthisin præscribunt, imitandos esse censet. Quanquam idem author cap. 1. theoretic puncto 1. hyosciamum, mandragoram, solanum, ipsumque

que salutiferum papaver vulgò quidem sub venenorum classem redigi, & tamen eorum legitimam præparationem & usum divinas manus medentibus porrigere, & nunquam satis deprædicandam opem ferre asserat.

Alii, interque eos Dan. Sennertus Prax. libr. 6. Part. 5. cap. 1. p. m. 533. 1 in hyosciamo, mandragorâ, opio, duplicem conjunctam qualitatem, unam salutarem, alteram verò venenatam, malignam inesse statuunt, quod verò quam falsum sit, de opio modò jam fuit dictum.

D. Casparus Hoffmannus de medicament. officin. libr. 2. cap. 3. §. 15. in hyosciamo duo se observare credit. Quorum unum est vis manifestâ refrigerans & siccans, non sine accidentali humiditate, alterum vis narcotica & deleteria. Si quis modicè illo utatur, exserere se tantùm manifestas qualitates refrigerandi & condensandi, sin liberalius, jam etiam occultam, hoc est, cum condensatione etiam stupefieri partes, si amplius, occultam tam potentem esse, ut occidat.

Vult igitur Hoffmannus hyosciamum in modicâ dosi sumptum virtutem suam medicam, & ad sanandos morbos utilissimam exercere, sin verò immoderatius sumatur, tunc eum exuere personam remedii, atque veneni induere, in quo quidem nobiscum sentit Hoffmannus; hoc verò ei non concedere possumus,

mus, quod ea à duplici qualitate, quæ hyoſciamo inſit, proveniant. Nam primò uti in aliis venenis, ut arſenico, opio, &c. ita etiam in hyoſciamo, &c. qualitas ejus venenata & medica una & eadem eſt, atque tantùm gradu invicem differunt, & quæ in juſtâ doſi ægrotum juvat, eadem in majore nocet, non aliter ac ignis calore ſuo blando partes fovet, & ſi modum exceſſerit, eas adurit & exulcerat; vel ut vinum, ſpiritus ejus, modice ſumpta animum recreant, corroborant, quæ immodicè ingurgitata inebriant, torporem, & ſtupiditatem ſenſibus inducunt, qui diverſi effectus tamen ab unâ causâ proveniunt. Deinde Hoffmannus cum totâ antiquitate, & plurimis recentiorum Medicorum errat, quod hyoſciamum frigidum eſſe ſtatuat, cum ſit calidiſſimus, quod ſatis probant ſymptomata, quæ ab ejus immoderatâ exhibitione oriuntur, ceu oſtendit hiſtoria quorundam Patrum Benedictinorum, quibus per imprudentiam hortulani pro obſonio radices hyoſciami ad comedendum fuerant appoſitæ. Ii omnes labra & linguas torridas habebant, ventris tormina patiebantur, iisque fauces ardore ita toſtæ fuerant, ut nullis gargarismis ardor extingui potuerit, ut cetera omittam ſymptomata (ceu rectè concludit D. Joh. Jacob. Wepfferus tract. de cicut. aquat. cap. 18. in ſcholio) quæ facilius à calore, quàm à frigore derivantur. Nec

U deliria

deliria & intemperies, quæ post mediam noctem quibusdam evenerunt, usque adeo erant torpida, ut frigori imputari possent, quæ neque ipse Dioscorides frigida diceret. Nam libr. 4. cap. 69. tàm flavum, quàm nigrum hyosciamum μανιώδη pronunciat, & Plinius apud Excell. D. Hoffmannum loc. cit hyosciamum Altercum, ab altercando ex Scribonii L. nominat, scilicet non frigida & mitia, sed biliosa, martialia deliria excitantem. Denique similia symptomata etiam aliæ res, ut opium, crocus, nicotiana, vinum, spiritus vini, quæ nullo contradicente calidissima sunt, excitant. Quippe hæc omnia sulphur quoddam volatile, quo frigida destituuntur, ad cerebrum & nervos transmittunt, & ita ut hyosciamus, temulentiam, torporem & somnolentiam animali inducunt. Neque virtus medica hyosciami, quam in doloribus, destillationibus acribus ad pectus delabentibus, & inde natâ tussi, tabe, sistendis, compescendis hæmorrhagiis exercet, alia docet, quæ non frigori remedii, sed virtuti ejus narcoticæ imputanda esse, etiam aliorum narcoticorum effectus demonstrat.

Non magis verum est, quod Hoffmannus hyosciamo condensandi virtutem attribuat, in quo quidam communem Medicorum imprimis antiquorum sententiam secutus esse videtur, qui omnibus narcoticis condensandi

ſandi facultatem adſcribebant, quæ opinio ab illâ, quâ omnia narcotica frigida eſſe judicabatur promanavit. Nam hyoſciamus externè uſurpatus eſt, uti quotidiana experientia teſtatur, potentiſſimum reſolvens, atque ut deinde dicetur, in tumoribus duris, ſcirrhoſis, nodoſis, præſtantiſſimum remedium, quod iterum probat hyoſciamum ſubtilibus & acribus particulis, uti alia calida, præditum eſſe, quibus craſſos & viſcidos humores, uti etiam in nicotianâ fuit oſtenſum, attenuare & incidere poteſt.

Neque probat hyoſciamum frigidum eſſe, quod is calidis nonnullis morbis & tumoribus medeatur. Nam ſæpius natura ab interioribus ad externas partes ſerum putre, excrementoſum, eryſipelatum vel inflammationum materiam propellit, quod pro ſui ablatione non remedium frigidum, repellens & condenſans (quod admodum noxium eſſet) ſed calidum & reſolvens, quale eſt hyoſciamus, poſcit, quâ ratione etiam camphoram, calidis morbis mederi, atque ideò ab aliis nequicquam pro frigido remedio haberi in tractat. noſtr. de Paradox. medic. fuit oſtenſum.

Alii cum Galeno diſtinguunt inter hyoſciamum. Hyoſciamus, verba ſunt Galeni libr. 8. ſimplic. medic. cui ſemen atrum eſt, " inſaniam ac ſoporem affert. Huic autem is, " cui ſemen mediocriter flavum eſt, propin- "

"quam facultatem habet. Verùm utrique "fugiendi, ut inutiles & venenosi, seu delete- "terii, ceterùm cujus semen ac flos candidus "est, ad sanationes vel maximè idoneus est, "ex tertio quodammodo ordine refrigeranti- um. At cum his Medicis me duo committunt, & primo nego hyosciamum semine nigro vel flavo, tanquam venenosum, & quia insaniam & torporem affert, in medicinâ fugiendum esse. Ita enim multa adhuc alia, ut opium, crocus, nicotiana, vinum, spiritus vini, quæ non minus quàm hyosciamus, insaniam & torporem afferunt, in remediis & victu excludenda essent, qui verò venenatus effectus magis immoderato eorum usui, quàm rebus ipsis adscribendus est, atque nemo ea esse remedia præstantissima, si ritè usurpentur, ambigit. Secundò nego hyosciamum semine albo nullam vim noxiam obtinere, cum & ille, si eo abutamur, non minus quàm hyosciamus semine nigro & flavo venenatus sit, dementiam & soporem afferat, atque ob id nostris Medicis suspectus sit, qui tamen ipso Galeno affirmante ad sanationes morborum utilis est. Ex quo iterum manifestum est, virtutem venenosam non obstare medicæ.

Quare omne ab usu hyosciami periculum & noxa, quæ aliâs obveniunt, duobus potissimum modis evitari potest, primò, si in moderatâ dosi & quantitate, secundò si conveni-

enti

enti subjecto, modo & tempore remedia ex hyosciamo præscribantur. Tertius modus, qui fit per correctionem hyosciami, imprimis is qui fit per acida, nullius est momenti, immo noxius. Nam si ad morbos curandos virtus hyosciami narcotica confert, & salutaris est; inutilis labor erit, eam per acida infringere, aut plane aufferre hanc qualitatem, & quod argumentum etiam contra opii per acida correctionem fuit â nobis allatum, illud etiam hîc locum habet.

Sunt autem multi morbi in quibus sanandis hyosciami etiam crudi internè assumpti vires sunt suspiciendæ, & â magni nominis Medicis notatæ, qualis est præcipuè hæmopthisis.

Galenus de composit. medicament. sec. loc. p m. 370. Ceterùm, inquit, opium & " hyosciamus, & cicutæ semen, maximè qui- " dem iis, qui â tussi, aut etiam aliis lancinan- " tur, apta sunt, quanquam omnibus, quomo- " docunque sanguinem rejicientibus conve- " niant.

Succus hyosciami etiam sanguinem ex- " screantibus, nidor quoque accensi tussienti- " bus medetur. Plinius natur. histor. libr. 26. cap. 5.

Mercurialis in consultatione contra hæmophthisin, valdè comendat semen papaveris albi, vel hyosciami, si ejus ℥j. plus vel mi-

nus cum saccharo rosato, vel syrupo de portulacâ, misceatur, & singulo mane sumatur.

Pulverem vel conservam ex semine hyosciami, papapav alb. ã. ʒx. sacchar rosat. vel conservâ ejus àntiquâ mixtis in hæmophthisi mirabile secretum nominat Claudius Deodatus Panthei hygiastic. libr. 3. cap. 22.

Pulvis Heurnii & Scaligeri contra hæmophthisin admodum celebris est, & constat ex semine hyosciami & papaveris albi, ut ℞. sem hyosciam. papaver. alb. ã. ʒj lapid hæmatitid. corall. rubr. ã. ʒß camphor. ℈ß. Misce, dosis ʒß. manè & vesperi, cum conservâ rosarum antiquâ sumatur in formâ boli.

"Ex semine hyosciami albi paratur pul- "vis contra sanguinis sputum, estque secre- "tum Pardmari, quo etiam ego usus sum; sed in "ejus usu non nimis diu continuetur, cum soporem inducat. Joh. Michael not. in Schrœder. cap. 16.

Qui tabellas desiderat, illi inservire poterunt illæ Riverianæ. ℞. sem. hyosciam. alb. subtiliss. pulveris. ℈ij corall. rubr. ʒß gumi arabic. ℈j. viol. recent. nõ. x. succ. berber. ℈iij. sacchari in aquâ rosarum & plantaginis solut. q. s. Vide Authorem libr. 7 cap. 6. Prax.

℞. sem. hyosciam. ʒj. papaver. alb. ʒij. terr. sigill. bol. armen. lapid. hæmatitid. ã. ʒß. conserv. rosar. antiqu. ℥ij. cum syrup. cydonior. contusis fiat electuarium, cujus dosis est

est ℥ij. ℥iij. manè & serò. Johann. Fortis consil. 7. cent. 2. tom. 1. Confer etiam libr. 3. consil. 7. Cratonis à Scholtzio edit. Felic. Plater libr. 3. observ. p. m. 744. 745. &c. D. Georg. Wolgang. Wedel. Ephim. nat. curios. observ. 21. anni 3.

Hoc electuarium efficacissimum experti sunt Crato, Fortis, Helidæus, quod melius redditur, si seminis hyosciami, & papaveris albi æqualis portio sumatur, uti ab Helidæo describitur, & tanquam arcanum in hæmophthisi laudatur.

Illud & electuarium Helidæi, olim in Germaniâ celeberrimum, & â Gesnero, Erasto, Cratone commendatum nominat Lazarus Riverius Prax. libr. 7. cap. 6.

Electuarii ex semine hyosciami & conservâ rosarum antiquâ confecti, tanquam optimi remedii contra hæmophthisin meminit Robertus Boile, uti ex eodem D. Joh. Dolæus libr. 2. cap. 5. Encyclop. dogmat. p. 270. 2.

Felix Platerus observ. 3. de hæmophthisi cuidam virgini hæmoptoicæ cum successu se dedisse scribit tabulas supra ex Riverio notatas, de quibus æger singulis noctibus, unam vel alteram in ore, ut spontè diffluant, contineat. Aliud exemplum ita curatæ vide loc. cit. Similia laudavit, & præscripsit Jurisconsulto ad præservationem, cui verò sanguinea sputitio per alia remedia fuit suppressa, si ea

non cessasset, inquit, ei dedissem pulverem ex semine hyosciami. Ex quo liquet hunc pulverem â Platero tanti fuisse habitum, ut eum ad extremos morbos reservaret.

Horum remediorum successum non ita diu ipse expertus sum in quadam muliere admodum tussiente, astmate, & dolore punctorio pectoris correptâ, item in aliâ, quæ ex viso spectro, ut credebat, magnum terrorem conceperat.

Quidam anonymus Medicus valdè commendat mixturam ex aquâ urticæ destill. ciath. 1 spirit. vitriol. q. s. ad gratam aciditatem, seminis hyosciami quantum cuspide cultelli sumi potest, cui addatur vini, vel aceti vini pars dimidia.

Ne catharrhus acris, serosus, calidus, â capite ad pectus delabatur, Petrus Forestus ex sententiâ Donati libr. 16. observat. 18. in scholio præscribit semen hyosciami, papaver. alb. ã. ℈ß. semen. coriandr præp. ʒj cortic. thuris gr ij. mastich gr. iiij. &c. dosis ʒß.

Hieronymus Mercurialis libr. 1. de morb. pueror. cap. notat â Rhasi & Avicennâ papaver & hyosciamum ad impinguenda corpora in tabidis affectibus ideò laudari, quia cibum ipsis partibus affigunt, quod non est præter rationem. Nam ut partes ritè nutriantur, tempore & morâ aliquâ ad elaborationem opus est, at in morbis nonnullis tabidis, ut sudoribus

doribus colliquativis, humores nimis sunt fluxiles & fugaces, ac antequam in partium nutrimentum convertuntur, é corpore dilabuntur, quia verò opiata nonnulla hanc humorum fugacitatem sistunt, vel eorum nimiam fluxibilitatem corrigunt, tunc ea etiam ad impinguenda corpora facere posse credendum est. Potest etiam dici in tabe peccare humores acres, in quibus corrigendis potens & efficax est semen hyosciami. In corporibus obesis contraria, viscida & lenta est humorum constitutio, unde ii ob lentorem suum partibus facilè adhærescunt, & ferè plus quàm debet, eas nutriunt. Exindè etiam fit, ut qui in ocio vitam degunt, atque nullis curis & laboribus exercentur, facilius pinguescant, quia labor & curæ, spiritus & humores agitant, & eorum excretionem præproperam per transpirationem promovent.

In catharrhis acribus, serosis sistendis hyosciamus, ut modò dixi, unâ cum aliis opiatis multum potest, & nunquam officio suo deest. Unde ejus radix decantatissimas pilulas de cynoglossâ in Pharmacopoiâ Augustanâ descriptas ingreditur, quæ ideò â nonnullis catarrhales nuncupantur.

Galenus de composit. pharmac. secund. loc. libr. c. 7. 2. p. m. 365. ad dolores sedandos, catarrhos sistendos, & vocem interceptam (â catarrho suffocante) tale præscribit Rec.

opii, myrrhæ, sem. hyosciam. ā. ʒ ij. singula in decocto cicutæ macerato, & diligenter terito, ex mixtis fiunt catapotia ervi magnitudine, quorum duo ante somnum exhibuit. Alia istiusmodi fortis remedia vide loc. cit.

Sequens est Sylvii. ℞. sem. hyosciam. alb. sem papav. alb. ā. ʒß. thuris mascul. myrrh. rubr. ā. ℈j. croci optim. ℈ß. succ. liquirit. in spiss. ʒj. sacchar. cum mucilagine althææ fact. ℥ß. gumm tragacanth. in aq. rosar. dissol. ʒj. f. rotulæ exiguæ, quarum unam subinde in ore detineat, & sensim deglutiat.

Semen hyosciami est salinum acre a d ʒj. haustum singulare est ad retentionem urinæ experimentum authore Fonsecâ libr. 1. consil 100. & libr. 2. consil. 96. Et ex eo Michael Ettmüller. Urin. secret. læs.

Semen hyosciami oboli pondere cum semine papaveris albi in aquâ mulsa exhibitum, utilissimum est remedium in abundantia mensium, & erumpentem aliunde sanguinem. vid. Dioscorid. libr. 4. cap. 64. Andr. Matthioli.

In pleuritide & nephritide summe efficax est, quod non inexpertus loquor, id quod describitur. ℞. sanguin hirc. Helmont. ocul. cancr. ā. ℈j. spermat. Ceti recent. ℈j sem. hyosciam alb. sem. papaver. alb. ā. ʒß. croc. ℈ß. m. f. pulvis cum sacchar. albiss. ʒiß. pro tribus vicibus in aquâ petroselini, veronicæ & syrup. de althææ sumendus. In

In dispensatorio Augustano pulveres ad dolores nephriticos sopiendos, & contra calculum non inutiles describuntur, qui itidem semen hyosciami in se recipiunt.

Galenus libr. 10. cap. 1. de compos. pharmac. sec. loc. multos nephriticos ab affectione liberatos scribit hoc. ℞. nucum ponticar. purgat. amygdal. amarar. mundat sem. cucum. purgat. ā. ℥iij. sem. cicut. croc. sem. malv. opii, ā. ℥vj. sem. hyosciam. alb. sem. apii ā. ℥xij. cum melle fiant pastilli, dosis obul. 3. in aquâ mulsâ. In hujus remedii usu per multos dies perseverandum est, quod etiam contra calculum & colicam inservit. Habet enim semen hyosciami & papaveris vim anodynam & antispasmodicam, qualia remedia in doloribus nephriticis, qui ab irritato renum archæo oriuntur, utilissimè exhibentur. Confer Helmontium.

Intelligitur autem per nucem ponticam nux avellana, quarum nucum virtutem antinephriticam non solùm Galenus, sed etiam alii insignes Medici suspiciunt, quod Lazari Riverii verba Prax med. libr. 14 cap. 1. p. m. 419. ostendunt. Ita autem ille: Non minoris efficaciæ contra calculum sunt nuces avellanæ ante pastum comestæ, quæ â Cratone commendantur, dicente, se compertum habere, non paucos sævis cruciatibus calculi diu affectos, usu avellanarum liberatos."

Quod

"Quod quidem disertè confirmat Amatus
"Lusitanus curat. 78. cent. 7. ita loquens:
"Vir qui nephritide laborabat, & de renibus
"non rarò capillos rubentes per virgam emit-
"tebat, multum querebatur; lumborum nam-
"que & iliorum, immò totius ventris dolores
"& rugitus sæpè sentiebat. Pro quibus abi-
"gendis symptomatis multis usus est remediis:
"sed frustra. At cum præter spem ex cujus-
"dam commendatione avellanis in victu ute-
"retur, liber & sanus a tantis affectibus evasit.
"Consuluerat autem illi vir quidam, si mor-
"bum profligatum vellet, avellanas cum in-
"ternis suis membranulis comederet initio
"prandii & cœnæ. Ceterùm ille remedium
"considerans familiare, non solùm initio
"mensæ eas comedebat, sed medio & fine.
"Quarum assiduo usu ita valuit, ut nunquam
"postea morbum persenserit. Addit Ama-
"tus Lusitanus in Scholio: Non solùm hic
"Vir de quo agimus], ex hâc mala affectione
"fuit liberatus, sed etiam alii, sunt autem hæ
"avellanæ nuces vulgares ponticæ dictæ, quas
"Avicennas inter eas medicinas, quæ lapidis
"renum materiam absumunt, reponit. Sed
"quâ facultate operentur, dubium est. An
"fortè suâ siccitate & facultate in membranu-
"lâ interiore compertâ? sed non desunt alii,
"qui hoc operari suâ nuclei oleosâ parte con-
"tendunt.

Nam

Nam ex nucibus avellanis exprimi oleum virtutem anodynam habens affirmat D. Joh. Michael in notis ad Schrœderi Pharmac. p. m. 618. 1. quod oleum etiam amygdalarum dulcium uſum nephriticis commendat. Et Quercetanus Pharm. dogmat. libr. 1. cap. 7. avellanis rubris virtutem antipleuriticam attribuit.

Hæc de nucum avellanarum virtute nephriticâ præter meum propoſitum ideo afferre volui, quia Medici de hac re ferè omnes ſilent.

Ad epilepſiam remedium nobiliſſimum fit ex ſemine hyoſciami ultra 40. dies uſurpati, incipiendo à granis vj ad xxiiij. ex cochleari uno ſucci ſempervivi recenter expreſſi. Theodor. Mayerne prax. libr. 1. c. 7. p. m. 25. Statuit enim Crato libr. 1. conſil. 4. cerebrum in epilepſiâ εὐαίσθητον eſſe, atque ideo acceſſionibus epilepticis exponi, quia nervorum & membranarum textura nimis rara minusque compacta ac denſa eſt, atque hæc eſt ratio cur infantes & pueri convulſionibus ita obnoxii ſunt. Hanc nimiam ſenſibilitatem corrigunt opiata, interque ea ſemen hyoſciami, efficiuntque ſenſus obtundendo, ne nervoſum genus ita facile â cauſâ morbificâ irritetur. Vel epilepſia eſt ab acrimoniâ ſeri nervoſum genus irritante, in cujus acrimonia temperanda ſemen hyoſciami nobiles habet virtutes.

In

In passione iliaca & colica Galenus libr. 9. cap. 4. de compos. pharmac. sec. loc. antidotum Philonis describit, cujus inter alia remedia ingredientia sunt hyosciamus, papaver album, opium. Istius fortis remedia aliquot ibi descripta habentur.

Medicamenta contra fluxus dysentericos, quæ semen hyosciami recipiunt, in eodem Galeni libro 9. cap. 5. loc. cit. legi possunt, quorum potissimum tale est. ℞. sem. apii hyosciam. ā. ℥iiij. anis. ℥ij. succi hypocist. sem. rosar. a. ℥ iß. succi papaver. myrrh. crocomagmat. a. ℥j. dosis obul. iiij. ij. j. in aqua sumendi. Sistit internos fluores, quod etiam forinsecus cum melle impositum præstat.

Aquam ex hyosciamo destillatam, item extractum ejus in dysenteria epidemica expertissimum, atque non secus ac opium vim suam exserens, notat D. Clauderus Ephimer. nat. Curios. decur. 2. anni 6. observ. 377. Alias aquas narcoticas hypnoticas ex semine hyosciami & succo ejus prolectas vide in Antidot. Joh. Jacobi Weckeri, Armament. Minsichthi.

In doloribus ab ulcere vesicæ removendis certam opem expertus est Ambrosius Paræus, ut Chirurg. libr. 12. cap. 18. scribit, si in ℥ij. aquæ plantag. seminis hyosciami quantum cuspide cultelli sumi potest, exhibeatur, item ab oleo expresso hyosciami externè applicato,

to. Unde etiam alias nobiles remediorum compositiones contra ardorem urinæ, renum & vesicæ exulcerationes, aliosque ab acrimonia seri ortos morbos directas ingreditur semen hyosciami, quales sunt trochisci de Alkekingi, seu Halicacabo, aliis Diaphysalidon Mesue appellatis, & quales trochiscos contra mictionem dolorosam, renum & vesicæ exulcerationes; Felix Platerus Prax. cap. 10. de miction. curat. p. m. 853 860. 861. summe efficaces prædicat, in quorum nonnullis compositionibus hoc solùm desidero, quod iis fructus amygdalarum dulcium, amararum, avellanarum, pistaciorum, pinearum, nucleorum persicorum, cerasorum &c. addantur, earumque molem nequicquam augeant. Nam quid opus est in remediis ad drachmas præscribere, quorum uncias in victu devorare possumus, vel quæ magis ad victum, quàm pharmaciam nephriticorum referenda sunt. Exemplum autem potest esse tale. ℞. sem. 4. frigid. maj. a. ʒ j. sem papaver. alb. sem. hyosciam. alb. a ʒij. bol. armen, terr. sigillat. gumm. arabic. prunor, succ. liquirit. a. ʒj. cum mucilag tragacanth. cum aqua rosar. extract. f. trochisci, quibus, si necesse sit, adde opii ℈ß. Dosis eorum est drachma dimidia, vel trochiscus unus & alter sæpius in die deglutiendus vel in forma pulveris exhibendus Hoc remedio etiam uti possumus in catarrhis salsis, acribus

acribus, hæmophthisi, tussi, tabe, mictione cruenta, diarrhæis, dysenteriis, & aliis affectibus, in quibus serum acre, salsum, acidum peccat, in quo temperando & sistendo una cum semine hyosciami & papaveris etiam terræ omnes, quæ sigillari solent, ut terra Lemnia, Silesiaca, bolus armena &c. inserviunt, dum pinguibus suis particulis humores acres & acutos obtundunt, & invertunt. Unde eæ etiam summo cum fructu trochiscis bechicis rubris, de alkekengi & aliis addi solent. Eas Mercurii sublimati, & præcipitati, & aliorum venenorum corrosivorum antidotum esse jam suo loco diximus. Earum virtutem seri acris mitigativam in mictione dolorosa & ardente quoque effert Platerus loc. cit.

Succus ex hyosciami radicibus recentibus expressus partem constituit laudani opiati Crolliani, item Josephi Quercetani, & D. Medicorum Augustanorum, licet radices hyosciami aliâs virulentiores sint, quàm ejus semen, quod solùm usuale est, nec censura Michael Ettmülleri accessum succi hyosciami in laudano opiato improbantis, ullum assensum meretur.

Hyosciami usum in nimio mensium fluxu commendat Joh. Michael in notis ad Schrœder. Pharmac. cap. 73. atque pilulas de Castorio Avicennæ propter hyosciamum, qui unâ cum aliis eas componit, contra hunc

morbum

morbum utiles esse judicat. At planè diversum his pilulis effectùm tribuunt Avicennas & D. Augustani, qui hoc remedium impeditum mensium fluxum promovere scribunt, quod etiam verum est, cum omnia reliqua harum pilularum ingredientia hac virtute polleant excepto hyosciamo, cujus verò tantilla dosis est, (nam grana tantùm tria toti compositioni adduntur) ut reliquorum effectum non remorari queat. Si major hyosciami quantitas adjecta fuisset, potuisset compositio argui eam ex contrariis conflatam esse.

Ex hisce constat authores citatos omnes Medicos famâ & experientia celebres hyosciamo non minores laudes quàm ipsi opio deferre, atque eos eo in doloribus sopiendis, fluxionibus reprimendis crebrò usos fuisse, neque timuisse vim hyosciami venenatam, narcoticam, vel uti quidam loqui amant, sulphur ejus impurum, quod præter remedia jam recensita Philonium Romanum Nicolai Mirepsi, confectio Alexandri Nicolai, tàm ob aurum ammixtum, quàm vires nobiles, Aurea appellata, Philonium Mesue, electuarium Persicum Mesue, Philonium Tharsense, Galeni, confectio Nicolai, quæ propter suam virtutem anodynam Requies Nicolai dicitur Tryphera magna Nicolai, & alia remedia in praxi medicâ usitatissima, non minus hyosciamo quam opio ei conjuncto suas medendi

vires debentia, ulterius probant. Unde non ſatis admirari poſſum, Medicos in rebus tanti momenti tantoperè ſibi invicem adverſari. & multos eorum ea remedia contemnere, & conviciis lacerare audere, quorum tamen ſummam in morbis medendis utilitatem tot & tantorum in arte medicâ clariſſimorum virorum authoritas & experientia ſanxit, ad quod verò facinus eos, nil niſi quædam præconcepta opinio impellit. Nam ſi experientia noſtra magiſtra eſt, cur ejus doctrinam contemnimus, cur tantum noſtræ rationi confidimus ut ipſi experientiæ obloqui non erubeſcamus?

Interim dolendum eſt juventutem, quæ ſe ad ſtudium noſtrum applicat, tot contradictionibus ita confundi, ut neſciat, cui ſe parti addicere debeat, miſeris interim ægrotis noſtram contumaciam luentibus, qui etiamſi ea miſeria non accederet, adhuc tamen ſatis miſeri eſſent, cum tot nihilominus proh dolor! morbi incurabiles ſuperſint, in quibus ii nullum ſolatium, nullum auxilium â nobis ſperare poſſunt.

Hactenus fuit] dictum quibus hyoſciamus proſit, ſequitur dicendum quibus oblit. Ubi ferè ea cautela in ejus exhibitione eſt obſervanda quam capite de opio præſcripſimus, quia hyoſciamus ferè conſimiles habet qualitates cum opio.

In

In aſthmate, ut rectè judicat Galenus libr. 7. cap. 6. de compoſit. medicam. ſecund. loc. narcotica, ut opium, ſemen hyoſciami & cicutæ &c. non, neque aſtringentia ſunt danda.

Neque ii, qui obſtructionibus meſenterii hypochondrii, menſium, hæmorrhoidum, alvi, urinæ obnoxii ſunt, qui ſoporoſis affectibus, apoplexiis, melancholiâ, hydrope, cachexiâ laborant, uſum hyoſciami impune ferent.

Externè hyoſciamus utiliſſima remedia expromit.

In dyſenteriâ ſi ea multum urgeat ℞. Radic. cynogloſſ. ℥iiij, hyoſciam. ℥iij. tapſ barbat. totius man. ij. malv. totius man. iiij. ol. commun. recent. libr. 4. coque addendo aquam ſpermat. ranar. libr. 1. roſar. plantagin. a. libr. ß. coque ad conſumptionem aquæ, & herbarum putrilaginem. Exprime fortiter, & hujus olei purioris compoſ. libr. 1. adde mucilagin. ſem. pſyll. cydon. cum aquâ plantag. extract. ℥iiij. vitell. ovor. nō. ij m. f. clyſter. Theodor. Mayerne Prax. libr. 3. cap. 3.

℞. rad. hyoſciam. tenell. verno tempore collect. libr. 1. optimæ lotæ ſcindantur in taleolas tenues, & in mortario marmoreo terantur in pultem, huic affunde cereviſiæ Gedanenſis, vel aliæ fortioris recenter coctæ, non fermentatæ quartas ij. coque ad medietatem continuò agitando, ſtent in vaſe terreo per

2. 3. dies, deinde coletur per cataputium densum cum forti magmatis expressione. Liquori adde mellis libr. 1. supra ignem continuò agitando, & cavendo ab empyreumate, f. cataplasma calidè è linteo multiplici applicandum, vel per se, vel cum micâ panis & lacte. Est anodynum ad omnes dolores imprimis arthriticos. Theod. Mayerne tract. 3. de arthrit. Aliud vide apud eundem loc. cit.

℞. olei olivar. libr. 1. minii tenuiss. trit ℥ij. coque ad consistentiam mediocrem emplastr. adde ceræ citrin. libr. 1. semen. hyosciam. subtilissimè pulveris. colophon. terebinth. alb. a, ℥iiij. m. f. emplastrum ad sedandos dolores arthriticos & alios mirè conferens. Adrian. Minsichth. armament. sect. 37. Emplastrum in scrophulosis, scirrhosis & nodosis tumoribus planè irresolubilibus D. D. C. ℞. fol. hyosciam. alb. recent. mandragor. cicut. nicotian: ver. ā, ℥j. rad. mandrag. alth. lilior. albor. a. ℥iß. incis. contus. coque in vini rhenan. aq. pluvial ā. q. s. ad debitam mollitiem, pistentur, per setaceum densum cribrentur. Cribratis adde capit. allior. cæpar sub cinerib. coctar. a. ℥j. ol. lilior. albor. ℥j. iterum ad ignem blandum coque continuò agitando cum spatulâ, adde farin. hordei vel tritic. sem. fœnugræc: a. ℥ij. pulver. rad. aristoloch. long. ireos. florent a. ℥ iß. resin abiet. ℥j ceræ q. s. f. emplastrum, quod tanquam κοιμήλιον preti-

pretiosum Frider. Hoffmannus in suum thesaurum pharmaceuticum reposuit sect. 10. §. 20.

Lenimentum resolvens istiusmodi tumores & inter alia corticem mandragor. rad. cicutæ cum toto, hyosciami recipiens describit Mayerne Prax. libr. 1. cap. 19.

Felix Platerus ad ulcus sanandum emplastrum ex plantagine, solano, foliis hyosciami, farinâ fabarum, hordei, lentium invicem contusis & coctis addito melle præscribit observat. libr. 2. p. m. 517.

Joh. Jacob Wepffer. tract. de cicut. aquat. cap. 18. scholio 1. ab hyosciamo ad sedandos dolores tàm certum remedium peti posse, ut quidam quasi divino beneficio ab illis fuerint liberati, & propterea hanc herbam non ὑωσκύαμον fabam suum, sed Διοσκύαμον Jovis fabam appellandam esse censuerint, scribit. Unde unguentum Jovis in officinis prostat, quod paratur ex verben. recent. hyosciam. recent. ã. man. ij. buthyr. recent. ℥viij. contundantur invicem, & sic maneant per 14. dies, deinde coque ad consumptionem humiditatis, & coletur. Inflammationes ac calidos quosvis tumores potenter reprimit, scroti præsertim incendiis salutare, vide Dispensator. Augustanorum.

Aliud unguentum Jovis magis compositum vide apud eosdem Augustanos.

Dan.

Dan. Ludovici differt. 1. de anodyn. & epiceraſt. ſufficere, ſi hyoſciami ſummitates ſimpliciter in buthyro frigantur, illudque unguentum de cynogloſſa, anodynum Jovis utrumque, & famoſiſſimum Populeum ſufficienter exprimere ſcribit.

Paratur autem celebre illud unguentum Populeum Nicolai ex herba papaveris, mandragoræ, hyoſciami, ſolani, temporibus & fronti inunctum in febribus ſomnum conciliat. vide Pharmac. Auguſt. ℞. olei roſat. unguent. populeon. ſalis ā. ℥ß philon. roman. ʒiij. opii, ſucc. hyoſciam. ā ℈j. m. cum ceræ q. ſ. f. lenimentum maximæ virtutis in doloribus arthriticis Mayerne tract. 3. de morb. extern.

Unguento populeoni Dan. Ludovici Pharmac. modern. ex oleo hyoſciami expreſſo, & expreſſo nucis moſchatæ balſamum hypnoticum ſubſtituit

Oleum hyoſciami expreſſum hæmorrhoidibus dolentibus maxime confert. Oleum ex hyoſciami ſemine expreſſum dolorem arthriticum, ſi affectæ parti inungatur, illico ſedat, Theod. Mayerne tract. de morb. extern.

D. D. Clauderus loc. ſupra cit. ſacculum ex fol. hyoſciami, fl. chamomill. ſummit. aneth. ſem. cumin, baccis juniper. turgidum lacti incoquendum. & abdomini applicandum

dum esse monet, illudque in ejus doloribus à sero acri productis maxime conferre.

Patruus tuus recenset Langius epist. libr." 5. c. 6. Georgi consobrinæ in phrenesi, me-" lancholiâ, delirio & ardentibus febribus ubi " somni conciliatione opus est, non conferē-" tibus mitioribus, nec Philonio romano, nec" pilulis de Cynoglossâ, sacculum ex pulveri-" bus foliorum & seminum Jusquiami albi pa-" rare & pulvinari, vel capiti dormituri suppo-" nere, aliquando etiam sanguisugas post au-" rem accommodare, & remotis iis granum u-" num opii vulneribus imponere, felici suc-" cessu solitus est, de quibus ipsius commen-" taria te docebunt.

Simili modo alii contra vigilias sacculos crocatos infantibus substernere cap. de croco retulimus. Verum probe sunt admonendi Medici, ut ægrotis dormire incipientibus istiusmodi sacculos removendos præcipiant, ne per nimiam eorum moram cerebrum lædatur, eique stupiditas, vel somnus lethalis inducatur.

In ulceribus antiquis persanandis succi & olei hyosciami vires nonnulli experti sunt, quas verò quidam Medicus in dubium vocat, dicendo: Se quidem talia tutò exhiberi posse non dubitare, meritò tamen ob non rarò latentem in iis malignitatem ab iis abstinere. Quæ verba minimè invicem cohærent, nec

quomodò ea conciliari possint, video. Nam si in remediis hyosciameis non raro malignitas latitat, nego iis nos tutò uti posse, vel si iis tutò uti possumus, nego malignitatem in iis latitare, atq; ita vel unū, vel alterum erit falsum. Verum magis credendum est hunc metum esse inanem. Nam si hyosciami usus etiam internus contra renum & vesicæ exulcerationes ab experientissimis Medicis Platero, Paræo & aliis tutus esse censetur, atque ipsi D. Augustani Medici in trochiscis de alkekingi in hunc finem inter alia etiam hyosciamum commendant, quo jure ejus usus externus in ulceribus propter malignitatem formidabilis esse meretur?

Succum hyosciami lectisterniis inunctum cimices necare scribit Frider. Hoffmannus libr. 4. sect. 4. §. 77. Pharmac. Schrœder.

HOc modo externe & interne prodest hyosciamus, ut nobilissimum remedium, si scilicet in debita quantitate, modo, tempore, & convenienti subjecto exhibeatur, & applicetur, sin verò vel per imprudentiam, vel malitiam exhibitus peccet, ejus antidota sunt omnia acida, quibus hyosciami malitiam refrænari ferè omnes Medici consentiunt, a quibus rectè D. Johann Screta & D. Joh. Jacob Wepffer, uti testatur tractat de Cicut. aquat. cap. 18. scholio unâ cum radicibus cichorii, hyosci-

hyoſciami virulentiam correctam fuiſſe, pronunciaverunt, quia horum beneficio exhalationes narcoticæ ab ejus ſulphure in cerebrum aſcendentes repreſſæ fuerunt in Patribus illis Benedictinis, qui radices hyoſciami pro cibo ſumpſerunt. Nam etiam Dioſcorides de Alexipharmacis cichorium inter hyoſciami corrigentia nominat.

Vomitorium ſtatim ab initio ſumptum, uti in aliorum venenorum, ſic etiam hyoſciami exhibitione ſummè confert. Unde prudenter Clariſſ. Dan. Sennertus Prax. libr. 6. part 7. cap. 6. alexipharmacis vomitorium præmittendum eſſe cenſet. Confer etiam Joh. Jacobi Wepfferi rationes, quibus tract. de Cicut. aquat. capit. ultim. vomitoriorum dignitatem aſſerit.

Quidam, uti ex Schrœdero patet, hyoſciami antidotis etiam ſinapi, raphanum, cæpam, allium accenſent, quod non ut frigiditas veneni remediis calidis corrigatur, ſed ut iſtiusmodi acribus & irritantibus facultas animalis torpida excitetur, atque caligo à narcoticis remediis rationi inducta, quaſi nebula Sole diſcutiatur, fieri debet, cui intentioni internè etiam inſervit oxymel ſquilliticum. Licet autem deliria ab hyoſciamo excitata non opus habere videantur iſtiusmodi remediis excitatoriis, atque ea ſolùm contra affectus ſoporiferos conferre, credi poſſit, ſciendum

tamen

tamen est istiusmodi deliria non esse sine torpore, & quasi vigilantium somnia, qualia etiam alia narcotica excitare solent.

An theriaca hic usurpari possit meritò dubitamus, atque ejus virtutem suspectam reddit opium ei ammixtum.

Externè inservit acetum rutaceum.

Caput XVII.

De Papavere.

PApaver ex herbarum nostratium genere venenum est, cujus folia, capita & semen narcoticam seu stupefactivam vim obtinent, eum tamen venenositatis gradum non attingit, quem habet opium, succus ex papavere Thebaico prolectus. Hoc tamen non obstante ir multis morbis curandis est excellentissimum remedium. Contra dolores & vigilias nimias utplurimum â Medicis præscribitur. Non minùs in catarrhis tenuibus, salsis, acribus sistendis, & inde natâ tabe, hæmophthisi, tussi, diarrhæis, dysenteriis, hæmorrhagiis coercendis, ardore urinæ, renum & vesicæ exulcerationibus curandis communis eius usus est. Nam hi omnes morbi ab acredine & aciditate quadam lymphæ proveniunt, in qua mitiganda papaver magnis virtutibus præditum est.

Cete-

Ceterùm ut multis papaveris uſum demonſtrem, atque ei ut aliis venenis Apologiam ſcribam, non opus. Nam licet qualitas narcotica in Medicinâ plerumque malè audiat, & Medicis exoſa ſit, hæc tamen eos ab uſu papaveris, ſi paucos interque eos Franciſcum Ranchinum excipio, qui tract. de morb. virgin. hyoſciamum & papaver nullo modo in Medicinâ admittendum eſſe cenſet, non absterruit, quod etiam in uſu opii factum fuiſſe dixi.

Unde communis papaveris uſus in pulveribus, emulſionibus, ſyrupo de papavere ſimplici, diacodio Montani, aquis anodynis &c.

Sunt tamen nonnulli, ut Foreſtus, Schrœder &c. qui ſoli papaveri albo locum inter remedia concedunt, nigrum verô veneno ſitatis accuſant. Verùm neque hanc diſtinctionem magnopere attendendam, ſed potius amplectendam eſſe cenſeo ſententiam Friderici Hoffmanni libr. 4. ſect. 1. §. 267. dicentis experimenta de hac re facta hunc metum de nihilo eſſe, probare, dum quilibet cuculi cantum canens aſſentire, quàm indagare mavult.

Ejusdem ſententiæ eſt Dan. Ludovici Pharmac. diſſert. 1. de anodyn. & epiceraſt. Neque in papavere coloris rationem habet Hadr. Minſichthus, qui armam. med. chym. ſect. 20. aquas hypnoticas tàm ex papavere nigro quàm albo deſcriptas habet, quales a-

quas

quas etiam describit modò dictus Hoffmannus in suo Thesaur. Pharmac. sect. 1. §. 17. 18. Aquas hypnoticas ex succo papaveris albi & nigri, item ex succo hyosciami utriusque constantes Antidot. spec. libr. 2. p. m. 461. 1. proponit Joh. Jacobus Weckerus. Similiter Dioscorides libr. 4. cap. 60. nigri papaveris semen tritum in vino contra citam alvum, & fœminarum profluvia exhibuit. Quod etiam fecit Mesue suis trochiscis de charabe, de terrâ sigillatâ, papaver nigrum ammiscens.

Nec obstat papaveris nigri semen quibusdam nocuisse, uti observatio 14. libr. 9. Petri Foresti testatur, cum etiam papaver album, si intempestivè & in nimiâ dosi exhibeatur, non minùs nocere possit, atque ideò eo non cum minore cautione, quàm nigro utendum sit.

Licet igitur tàm in papavere, quàm hyosciamo coloris discrimen in effectu medico nullum discrimen faciat, atque utrumque securè dari possit, non tamen illud sine summâ cautione fieri debet, in quo duo præcipue attendenda sunt, scilicet ut papaver in debitâ quantitate, deinde in morbis convenientibus, & debitis subjectis præscribatur.

Et imprimis in capitis affectibus remedia narcotica cautè admodum esse usurpanda rectè admonet Petrus Forestus in scholio observat. 4. libr. 9. Nam narcotica cerebro sunt inimica

inimica, atque ei soporem, apoplexiam, stupiditatem & fatuitatem inducunt. Sic quandam mulierem capite dolentem ab usu seminis papaveris in periculosum soporem conjectam fuisse, recenset citata observatio Foresti. Nec in morbis melancholicis & maniacis, eorumque pervigiliis semper est tutus narcoticorum (quo opium, hyosciamum, mandragoram, solanum, papaver refero) imprimis internus usus. Qualia docet curiosa historia 4. libr. 2. Guilielm. Ballonii, in quâ refert quendam Medicum Virgini nobili capite dolenti decoctum capitum papaveris in vino, ut somnum arte conciliaret, parasse, & ægræ exhibuisse. Dum autem placidus somnus expectatur, ægrotans perturbatur, desipit, lecto exsilit, & mediâ areâ salit, sibi læsum, & quodammodo perversum caput queritur, ad æquitatem non adducitur, quicquam non veretur; absurda loquitur & facit. Ratio tam infaustæ curionis fuit, quia in nonnullis capitis doloribus, melancholicis & maniacis affectibus humores sursum ad caput & cerebrum rapiuntur, eaq; obsident, qui verò per usum remediorum narcoticorum altius partibus affectis affiguntur, cum potius ab iis quocunq; modo revellendi essent. Unde Dan. Ludovici Pharmac. dissert. 1. de anodyn. & epiceraft. p.m. 691. furores & inquietudines sine febre per spiritum urinæ, seu salis armoniaci interdum feli-

ciue

cius, quàm per summam opiatorum dosin sopiri, verè pronunciat. Et Helmontius tit. Jus Duumvir. par. 56. sæpè per immania soporifera maniæ succurrere frustra tentatur, in quadruplo sui vix somnum conciliant, ideoque eorum exhibitio terrore plena est. Nam cerebrum jam tum ab humore peccante obsessum, ab exhalationibus narcoticis, sulphureis rerum narcoticarum ulterius repletur, & quia illud â causâ morbificâ læsum est, facile evenit, ut â remedio ei infesto magis lædatur.

Reliqua, quæ hîc observanda sunt, capite de opio, & hyoſciamo fuerunt dicta.

Caput XVIII.

De Cicutà.

Cicuta herba est virulentissima, & cujus succum Socratem Philosophum confecisse antiquorum Historicorum monumenta produnt.

Eam esse narcoticam probat, quod immodicè sumpta eadem ferè symptomata excitet, qualia solent alia venena narcotica, ut papaver, solanum, mandragora, hyosciamus, nempe deliria, amentiam, sensuum torporem deglutiendi difficultatem, quod exempla â multis authoribus medicis annotata ostendunt, & refert Athanasius Kircherus scrutin. pestis

pestis p. 204. duos Monachos ex esu radicis cicutæ loco petroselini in deliria incidisse, ut putarent se anseres & anates & propterea se in aquam præcipitarent, in quâ etiam tandem submersi interierunt. vide Mich Ettmüller. Schrœder. diluc. de Cicut. Similia exempla etiam habet Joh Schenckius observ. 138 libr. 7. quæ omnia â sulphure narcotico volatili inebriativo, quo omnia narcotica abundant, proveniunt. Motus convulsivos ab esu ejus in pueris puellisque excitatos notavit celeberrimus Vir D. Joh. Jacob Wepfferus in peculiari de Cicutâ tractatu, in quo cicutam non esse frigidam, & sanguinem congelando vim suam exerere, uti antiqui & recentiores Medici crediderunt, sed calidam, acribusque particulis donatam, neque primariò sanguinem afficere, sed acribus suis particulis & acutis nervosam ventriculi membranam irritare, vellicare, per consensum totum nervosum genus convellere, & ita mortem inferre, solidis rationibus & experimentis demonstravit. Unde etiam Dan. Sennertus Med. Pract. lib. 6. part. 7. cap. 6. Cardanum non sine ratione cicutam calidam esse statuisse, quia sit amara, & quandoque furorem inducat, affirmat. Verùm non minus narcotica & dementandi qualitas, licet antiqui Medici contrarium statuerint, cicutam magis calidam quàm frigidam, uti etiam jam

capite

pite de hyosciamo fuit dictum, esse probat. Cur verò cicuta in pueris, puellisque magis convulsiones, quàm narcotici aliquid induxerit, rationem esse credo, quia nervosum genus in impuberi ætate adhuc est imbecillum & facile irritabile, atque facile, evenire potuit, ut cicuta copiosius comesta in tenerâ ætate convulsiones excitet, quæ in adultiore ætate dementiam & deliria generasset. Porro cicutam narcoticam & calidam esse ejus virtus medica, quâ dolores sopit, fluxiones quascunque sistit, tumores duros scirrhosos resolvit, sudorem movet, evincit.

An autem hæc nostra cicuta cum illâ antiquorum & in Græciâ pronascente ejusdem sit naturæ & virium, hîc non curiosè disputabo, quia facile potest esse, ut differant. Mihi tantùm propositum est docere, eam ipsam cicutam, quæ â veteribus & recentioribus sævissimi veneni nomine insignitur, nihilominus, uti etiam alia venena, moderatè & methodicè exhibitam tutissimum & utilissimum remedium esse.

Nam cum generosis remediis ita est comparatum, uti cum hominibus generosi & fervidi animi. Illis suus animi impetus & sanguinis æstus, quo â naturâ pollent, ad fortia & reipublicæ utilissima præstanda inservit, verùm is ipse ingenii impetus, si nullis prudentiæ moralis regulis, ceu habenis coërcetur, homi-

hominem ad sæva, temeraria, seditiosa, atque reipublicæ tàm noxia, quàm fuerunt antea utilia, consilia urget. Non aliter etiam summæ activitatis remedia, si juxta regulas veræ methodi medendi exhibeantur, ægrotis summè utilia, sin verò imprudenter & temerariè, summè noxia fiunt.

Verùm de Cicutæ aquaticæ & terrestris virtute medicâ ferè omnes Medici hodie altum silent, nonnulli eorum eam in remediorum censum planè non admittendam censent.

Cicutæ veræ, sive terrestris, sive aquaticæ nunquam fiderem, nec author essem, ut intra corpus humanum admitteretur, inquit Johan. Jacob Wepffer tract. de cicut. aquat. cap. 22. cum plurima securiora extent ad satisfaciendum cujuslibet scopis in medendo præ cicutâ.

Cicutæ usum internum etiam rejicit Dan. Ludovici Pharmac. modern. dissert. 1. de anodyn.

Theophilus Bonnettus Mercur. Compitalit. libr. 19. Syllog. de Anodyn. Narcot. §. 9. Cicutam, hyosciamum, mandragoram, interius propinare nefas, gaudent enim sulphure impuro, indigesto, naturæ inimico, non blando.

Cicutam meritò inter venena à totâ substantiâ agentia referendam esse censet Fride-

Y ricus

ricus Hoffmannus Clav. Schrœder. Pharmac. libr. 4. sect. 1. §. 109. quo ipso nullo modo cicutam ad internum usum ægrotis præscribendum esse judicat, licet cicutæ externus usus ex ejus opinione non sit rejiciendus.

Hæc verò sententia multis modis revelli potest. Nam 1. in rebus naturalibus nullum dari istiusmodi venenum ex jam de aliis venenis dictis constat. 2. Si cicuta esset venenum totâ substantiâ naturæ humanæ inimicum, sequeretur eam etiam externè applicatam nocituram esse; quia ex ipsorum Medicorum sententiâ venena totâ substantiâ agentia omnibus qualitatibus medicis carent, nec cum naturâ nostrâ ullo modo, sivè internè sumpta, sivè externè applicata conciliari possunt. Quia igitur cicuta externè applicata utilissimum est remedium, uti etiam ipse Hoffmannus se expertum esse testatur, ex eo constat istiusmodi venenositatem naturæ humanæ irreconciliabilem cicutæ tantùm affingi, atque externum ejus usum etiam internum recommendare. 3. Si cicuta esset venenum totâ substantiâ agens, atque ob id ad usum medicum inutile, quantò magis esset tale opiũ, cujus malitia & venenata qualitas multò major est, quàm cicutæ, & si ejus vim deleteriam aversantur Medici, cur non etiam eam in opio reformidant? Vel si nihilominus opium tàm amplo honore in regnum remediorum recipi-

recipiendum esse duxerunt, cur eum hyosciamo. cicutæ, mandragoræ, itidem narcoticâ qualitate præditis invident? Ex quo iterum constat hanc opinionem de cicuta tantùm superstructam esse illi præconceptæ, quam ferè omnes Medici de venenis fovent, quæ effecit, ut ii hactenus ferè ab ejus usu abstinuerint, quanquam in præscribendâ cicutâ Medici antiqui, uti ex eorum remediis patet, non timidi fuerint.

Ita Hippocrates libr. de natur. mulier. 29. v. 5. 71. edit: Lindan. inter alia mensium & lochiorum fluxum inhibentia etiam cicutæ meminit, cujus pugillum in aquâ decoquendum suadet. Theophrastus histor. Plantar. libr. 9. cap. 17. locum Hippocratis corruptum esse opinatur, & venerandum senem κόμινον pro κώνειον scripsisse autumat. Quæ verò conjectura, (ut rectè judicat Wepfferus cap. 22. cit. loc.) non multum valet, quamvis ipse Theophrastus hæsitare videatur loco citato, dum cicutam diureticam, atque ita purgatoriam, & cum Dioscoride refrigerantem, atque ita nimium fluxum coercentem innuit.

Qui Galeni scripta, & imprimis libros de composit. remed. secund. loc. evolvit, magnam farraginem medicamentorum cicutam, mandragoram, hyosciamum recipientium ibi inveniet, quæ simplicia si veteres Medici in praxi suâ tàm noxia & venenata, uti recenti-

ores clamitant, esse deprehendissent, iis non tàm crebro usi fuissent. Nec existimandum est antiqui seculi Medicos tàm incuriosos rerum medicarum observatorès fuisse, ut periculum & noxam, sicubi aliqua exinde provenisset, non deprehendissent, ut ita multò magis accusandi sint recentiores, qui veterum remedia sæpius citra necessitatem & re non satis examinatâ & perspectâ, acri censurâ perstringunt.

In tussi & catarrhis medicamenta soporifera commendat Galenus libr. 7. cap. 5. composit. medicament. secund. loc. his verbis. "Postquàm multas ad tussim Andromachus "conscripsit confectiones, deinceps omnes "soporem inducentes, & ob id soporiferas ap"pellatas, tradidit. Ceterùm hæ omnes fluxi"ones tenues inspissare possunt, exsiccantes, "simulque refrigerantes, & propterea aliquæ "non tantùm opium, sed & mandragoræ suc"cum, aut corticem radicis, aut hyosciami se"men, aliquæ earum etiam duo aut tria, aut o"mnia etiam hujusmodi habent. Quomodo aliæ styracem & crocum.

Idem Galenus libr. 7. cap. 4. p. m. 370. de composs. medicam. secund. loc. inquit, o"pium, hyosciamum, & cicutæ semen maxi"mè iis, qui â tussi, aut etiam aliâs lancinantur, "apta esse, quanquam omnibus, quomodo"cunque sanguinem rejicientibus conveniant.

In

In colicâ cicutam laudant & præſcribunt veteres Medici, uti ex Galen. libr. 9. cap. 4. de composit. medicam. ſecund. loc. iterum conſtat.

Alia remedia inter narcotica etiam ſemen cicutæ recipientia, & contra colicam, dyſenteriam, dolores nephriticos directa, legere licet in ejusdem Galeni libris modo citatis.

Verum nec deſunt Medicorum recentiorum exempla, qui in morbis nonnullis cicutâ uſi fuerunt.

Quædam fœmina quinquaginaria Batava ad concinnandum ſomnum acetario cum pauculo cicutæ feliciſſime utitur, uti Wepfferus tractat. de Cicut. aquat. p. m. 39 311. ex Nicolai Fontani reſponſ. & curat. affert, qui Fontanus ideò cicutam non deleteriam ſuapte naturâ & ſubſtantiâ, ſed ſolâ quantitate lethalem eſſe, in parvà doſi non lædere aſſerit. Notabile eſt hanc mulierem vigilias laudano opiato non expugnare potuiſſe, quæ deinde per uſum cicutæ fuerunt ſublatæ.

Cicutæ modicâ ſorbitione Sacerdotes Ægyptios impunè ſe caſtraſſe ex Hieronymi epiſtolâ refert obſervatio centeſima ſexta D. Sebâſtiani Jungii Ephimer. natur. Curioſ. anni 4. & 5.

Idem Sacerdotes Athenienſes factitaſſe, atque uſu cicutæ libidinis incendia extinxiſſe, notat Franciſcus Ranchinus tract. de morb. virgin.

virgin. sect. 3. cap. 2. p. m. 452. 1. 2. Refert porrò D. Basilium insignem Theologum & Medicum scripsisse, quod viderit quasdam mulieres, quæ rabiosas cupiditates potione cicutæ extinxerint, quanquam hæc omnia Ranchino incredibilia esse videantur, quia "inquit, cicuta præsentissimum venenum est "non potest has virtutes obtinere, nec ejus u-"sus internus, ut & hyosciami, papaveris ullo "modo admittendus est. Sunt enim hæc o-"mnia remedia internè exhibita periculosa. Sed huic authori idem, quod aliis, evenit, qui cujus rei causam ignorant, ejus effectum & virtutem in dubium vocant, vel planè impudenter negant. Quippe ignoravit Ranchinus rem aliquam remedium simulque venenum esse posse, & si remedia periculosa statim essent rejicienda, Medici optimo sanè & selectissimo remediorum apparatu carerent. An autem præcisè cicuta virtute æstum venereum reprimendi polleat, nec affirmare, nec negare possum, quia de hac re nihil mihi constat.

Johannes Raius histor. plantar. libr. 9. cap. 8. citante eum Joh. Jacobo Wepffero in fine scholii observationis 116. Ephimer. Natur. Curios. Decur. 2. Anni 6. cicutæ majoris radicem pulverisatam ad ℈j. in febribus malignis & quartanis datam omnibus diaphoreticis antecellere ex communicatione D. Bowle scribit.

Ean-

Eandem cicutæ virtutem diaphoreticam etiam expertus eſt Renealmus, uti ſcribit obſervat. 3. p. 4. qui radicis cicutæ drachmas duas in decocto dedit, cujus beneficio æger in ſudorem ſolutus melius habuit. Alii ægroto cicutæ in umbrâ exſiccatæ ſcrupulos duos in vino per duodecim horas infuſos dedit, nullâ ſequente appetitus dejectione, nullâ cardialgiâ: plus verò minxit, meliusque habuit ab obſtructione in gippâ hepatis parte.

Cicutariæ radices communiter ſive coctas in ſcibis, ſive crudas comeſtas, tanquam maximum arcanum in ſcorbuto commendat Fridericus Hoffmannus Pharmac. Schrœder. libr. 4. ſect. 1. §. 109. Subjungit tamen & hiſce quosdam è medio ſublatos experientiam teſtari. Quorum utrumque verum eſſe poteſt, his ex cicutæ moderate & methodicè exhibitæ uſu reconvaleſcentibus, illis ex immoderatè datæ abuſu morientibus.

Semen cicutæ inter alia componit pilulas arthriticas Theodori Mayerne tract. de arthrit. 3. p. m. 236.

Quapropter non dubito, ſi iſtiusmodi remedia etiam in aliis affectibus ſine præjudicio exhiberentur, ægrotos non minorem fructum ex iis percepturos eſſe, ſed inani timori adſcribendum eſt, quod ea hactenus à Medicis minùs fuerint uſurpata. Atq; excuſandus eſt Renealmus, qui in obſervatione

tertiâ & quartâ modò citatâ testatur se radice cicutæ internè in substantiâ à ℈j. ad ʒß. vel in infuso ad ʒij. felici cum successu in scirrhis lienis, hepatis & pancreatis gravissimis usum esse qui verò ob id factum â Michaele Ettmüllero Phytol. Schrœder. Dilucid de Cicut. temeritatis, & qui solus eò audaciæ accesserit, accusatur. Quantò magis injuria est accusare Medicum temeritatis propter remedium, quo ad salutem suorum ægrotorum, & cum successu usus est, & quantò magis accusandus Ettmüllerus, quod in re non ita periculosâ nequicquam trepidet. Nam cicuta etiam internè in parva dosi data non est venenum, nec Renealmus eam in magnâ dosi exhibuit.

Hæc tamen remedia cautè sunt usurpanda, uti cetera istius sortis remedia. Maxima autem cautela est, ne peccetur in dosi. Nam hæc remedia in largâ dosi venena sunt, in parcâ verò utilissima remedia, quod itidem authoritate Galeni confirmari potest. Ille libr. 2. de vict. ration. in morb. acut. Comment. 2. "text. 12. dicit purgantium remediorum na-"turam corporum, quæ expurgantur, naturis "esse contrariam, immò lethalem & deleteri-"am. Uti autem succi papaveris, mandrago-"ræ, hyosciami, & aliorum istiusmodi multo-"rum (uti cicutæ) quæ nobis & substantiâ & "viribus adversa corpus perimere nata sunt, "portionem exiguam sumentes magnam perci-

cipiunt qualitatem, sic & purgantium medi-"
camentorum, quorum natura corporibus"
nostris adversa est, exiguam aliquam præci-
dentes partem ad suppetias ferendas utimur.
Est igitur Galeni mens & sententia, etiam
quæ nobis naturâ & substantiâ deleteria sunt,
quod contra nostrorum Medicorum opini-
onem, talia nullo modo in Medicinæ partem
venire posse statuentium, est probe notan-
dum) in parcâ dosi exhibita ad morbos sa-
nandos esse utilissima; talia autem esse, hy-
osciamum succum papaveris, opium, man-
dragoram, cicutam, quæ tamen nostri Medi-
ci, excepto papavere & opio nullo modo in
medicinâ tollerari posse clamitant, atque do-
ctrinam Galeni Principis nostri re & experi-
entiâ comprobatam, verbis & ratiunculis de-
structum eunt. Notandum præterea est an-
tiquos Medicos & Galenum hisce rebus in
medendo usos fuisse, uti eos natura produxit,
non, uti multi nostrorum prætendunt, præ-
paratis, & venenatâ suâ qualitate spoliatis ser-
vatâ utili, quia hoc non est necessarium, & ea
ipsa venenata qualitas servari, & non per ina-
nem correctionem tolli necesse est, quia ea-
ipsa est, quæ methodicè in usum tracta, salu-
taris est, & ad medendum expetitur. Ceu
malè operam & sumptus collocarentur, si
quis purgantia etiam valida suâ forti purgan-
di virtute per præparationem privare institu-
cret,

eret, quia ea fortis purgandi virtus ad quosdam humores tenaces & viſcidos, qui debilioribus non parent, educendos, & alios humores contumaces corrigendos requiritur, quâ per ſuperfluam correctionem nimis infractâ, vel planè ſublatâ, etiam Medicus cum ſuis ægrotis ſuo voto & deſiderio fruſtratur.

Altera cautela eſt, ut cicuta, uti alia narcotica, in convenientibus morbis, quales ſunt vigiliæ immodicæ, dolores, maniæ nonnullæ, catarrhi tenues, ſeroſi, tabes, hæmophthiſis, fluxiones alvi immoderatæ, dyſentericæ, menſium fluxus immodicus, item juſto tempore, & viribus adhuc integris exhibeatur. Minimè verò in aſthmate, hydrope, cachexiâ, alvi obſtructionibus, affectibus melancholicis, ſoporoſis, apoplecticis, virium debilitate, & in morborum fine.

Externè in tumoribus duris, ſcirrhoſis reſolvendis cicuta eſt magnarum virium.

Ad ſcrophularum diſſolutionem à D. Theodoro Zwîngero p. m. 458. lit. A. tit. Halskropf laudatur emplaſtrum è cicutâ Hildani.

Mayerne Prax. 1. cap. 19. p. m. 143. emplaſtrum ex gummi ammoniaco in ſucco cynosbatos & cicutæ diſſoluto ſtrumas diſſolvere ſcribit.

Emplaſtrum ſpleneticum è cicutâ ad diſſolvendos lienis tumores ſcirrhoſos, duros omni-

omnibus notum est, & in officinis ad usum prostat.

Cicutam ad scirrhum mammarum resolvendum unâ cum galbano, ammoniaco, opopanace, radice scrophulariæ, nicotianâ commendat D. Theodor. Zwingerus p. m. 272. Aliud emplastrum tumores scirrhosos virtute potissimum cicutæ resolvens, notat Joh. Schrœderus, & ex eo D. Medici Augustani in edit. ultim. Pharmac. Augustan.

Ad cancrum mammarum occultum mitigandum egregiè conferre cataplasma ex cicutâ recenter impositum testatur Michael Ettmüller Chirurg. Medic.

Præstantius remedium ad scirrhos resolvendos non dari inquit Johann Agricola, quàm succum expressum cicut. mandragor. ā. ℥v. gumm. galban. ammoniac. in acet. dissolut. ā. ℥ij. fl. sal. armoniac. ℥j. ol. tartar. ℥iß. coque in tigillo continuò movendo ad evaporationem succorum, adde terebinthin. ℥ij. croc. oriental. ʒiij. emplastr. de melilot. diachil. simplic. ā. ℥ß. ceræ q. s. pro emplastro corio dense obducendo. Impositum dolorem causatur, hoc non obstante per tres dies sinatur, renovetur deinde, iterum novum imponatur, & ita scirrhus emolliatur.

Vel ℞. cicut. man. iiij. fl. genist. man. j. gumm. ammoniac. libr iß. infunde in s. q. aceti deinde ebulliant, donec ammoniacum sit

fit solutum, postea cola, colato adde succi nicotian. ver. ʒ vj. succ. ebul. ℥iiij. iterum ebulliant, tandem adde resin. pini, terebinthin. ã. ℥iij. styrac. calamith. ã. ʒvj. mirrh. ℥iß. ol. coct. cæpar. ceræ ã. q. s. f. emplastr.

Ex foliis hyosciami in aceto coctis, addito oleo de cicutâ, amygdalar. amararum Joh. Fortis ad tumorem lienis discutiendum emplastrum parat.

"Urina plurimum habet salis armoniaci "sive volatilis, immo ferè tota in salem certo "artificio convertitur. Penetrantissima est "istius salis facultas, estque ad attenuandas "& dissipandas congelatas materias aptissi"mus. Ideo utiliter in urinâ coquuntur, quæ "ad rem faciunt simplicia, ut ℞. rad. bryon. sigill. B. Mariæ, raphan. rustican. ã. ℥ij. cyclamin. cucumer. asinin. ã. ℥iß. rasur. lign. sanct. cortic. ejus, ã. ℥i. fol. tabac. Indic. man. ij. scordii, hyosciam. Peruvian. seu tabac. fœmin. cicut. totius ã. man. iß. f. decoctio in urinâ pro fotu sæpius usurpando diu quavis vice, & per plurimos dies calidè. Theod. Mayerne tract. 4. cap. 6. de lue venereâ p.m. 380. emollit nodos venereos.

Ad dolores arthriticos sedandos & tophos resolvendos sæpius cum successu cicuta & aliis uti licet. ℞. rad. symphit. major. recent. libr. caulium virid. cicut. ã. man. iiij. rad. tabac. Anglic. ℥vj. coque in lacte ad putrilaginem

ginem, pistentur, trajiciantur, trajectis adde micæ panis albi lacte macerat. medull. pomi tost. á. libr. 1. flor. cassiæ ℥iiij. spermat. Ceti ℥iij. medull. cruris bovis ℥v. croc. pulverís. ʒ ij. m. f. cataplasma [semel quotidie renovandum. Hoc Comitissam de Betfort statim levabat post omnia alia remedia frustra tentata. Mayerne tract. iij. de arthritide.

Cicutam, mandragoram, ad oculorum dolores, rubores & inflammationes usurpari in praxi medica non est infrequens, uti & radicem, folia, semen hyosciami, uti ex Dioscoride patet. Unde Theodorus de Mayerne tractat. de arthritid. Cicuta oculis licet cere-" bro vicinis innoxiè imponitur."

Remedia oculorum dolores & inflammationes sistentia, & ex mandragora, hyosciamo, cicuta constantia, ex Galeni libro de composit. medicament. secund. loc. haberi possunt.

Sedum majus, portulaca, folia hyosci-" ami, mandragoræ, solani viridia, contusa," vel panno involuta, vel sub cineribus parùm" cocta apposita, validè dolorem oculorum" compescunt. Felix Platerus de oculor. dolor. curat. p. m. 304.

Ad adstringendum, & simul dolorem leniendum. ℞. fol. plantagin. sedi major. solan. ã, man. ß. fl. rosar. violar. a. p. ß. sem. psyllii papaver. alb. a. ʒij. coque in aquâ, si radic. mandragoræ ʒij. additur, dolorem citius compescet. Idem p. m. 306. l. c.

Non-

Nonnulli cicutam ad sororiantes & luxuriantes virginum & mulierum mammas coercendas, & lac in puerperarum mammis ejus succo supprimendum imponunt.

Ut mammæ parvæ & duræ maneant novem diebus manè & vesperi eas cum succo cicutæ fomentare, & herbam tritam iis superligare præcipit Petrus Forestus in schol. observat. 25 libr. 17. Quod verò D. D. Simeon Pauli & Fridericus Hoffmannus non tutum esse dicunt.

Hanc sententiam confirmare videtur observatio 3. centur. 2. Petri Borelli. In ea refertur mulierem quandam nobilem cum mammas minuere optasset, consilio cujusdam Medici eis cicutam imposuisse, & aliam, ut variolarum notas è mammis & summo thorace deleret, remedium ex arsenico aliisque venenis parato applicasse, & ambas inde mortuas esse. Cautè igitur hisce remediis, immò nunquam nisi in morbis desperatis, ut cancro, lue venerea, utendum esse censet. Ego verò cicutam mammis impositam cum D. D. Wepffero non ita periculosam esse statuo. Nam si esset, folia cicutæ contusa & imposita, non tam multis tumoribus & doloribus eòrum sine periculo fuissent applicata, nec Practici ad resolvendos mammarum tumores cicuta, & remediis ex ea confectis, quale est emplastrum de cicuta Hildani v. D. Joh. Dolæi

Ency-

Encyclop. Chirurg. p. m. 646. 1. tàm crebrò uterentur. Tale etiam cataplasma pro lactis coagulo resolvendo mammis calide applicandum Theod. Mayerne sect. 7. de curat. gravid. ut ℞. fol. virid. vinc. pervinc. cherefol. apii, cicut. a. man. ij. contundantur in mortario, addendo acetum rosaceum, & olei rosacei a. pro æquo f. cataplasma. Vel ad lac in mammis non repellendum, uti quidam minus rectè credunt, sed resolvendum ℞. fol. menth. exsiccat. man. j. cicutar. man. ij. coriandri præp. ℥ß. m. & coque in aquæ & aceti æquali portione pro epithemate.

Idem etiam de arsenico, quod remedium cicuta violentius, dici potest, quo cancros mammarum tutò curatos fuisse, multa exempla loquuntur. Allatum verò exemplum ex Borello quod attinet, de eo nihil judicari potest, quia reliquæ circumstantiæ scitu necessariæ in eo non referuntur. Ceterùm venenis in medicina cautè utendum esse, ipse cum Borello judico.

Præcipuus usus cicutæ ad cohibendas epiphoras æstivas oculorumque dolores sedandos circumlitus miscetur collyriis, & alios omnes rheumatismos cohibet. Folia quoque omnem dolorem & tumorem & epiphoras sedant. Anaxilaus author est mammas succo cicutæ illitas à virginitate semper staturas. Quod certum est, lac puerperarum mam-

"mammis imposita extinguit, veneremque "testibus illita. Plinius natur. histor. 25. cap. 13. 36. Illud autem D. Wepfferus cicutam præstare credit non refrigerando, repellendo, & spiritus suffocando, quod credebant veteres, sed resolvendo, attenuando & consumẽdo, cum particulis calidis sit prædita tract. de Cicut. aquat. cap. 22. Et Felix Platerus de extuberant. curat. p. m. 405. rectè sentit "cicutam lac extinguere, & mammarum in"crementum sistere, docente Dioscoride uti "& alia narcotica non vi refrigerante, sed po"tius discutiente, qualem ipsis inesse adeo, ut "etiam duros tumores resolvant, multoties "jam declaravimus.

Cicuta cataplasmatibus immixta in tollenda gangræna sæpius cum summo successu usurpatur. Barbette cap. 14. testante. Confer Stephan. Blanckhardum Chirurg. libr. 3. cap. 25. Quod autem valde pugnat contra eos, qui cicutam calorem nativum extinguere asserunt. Nam si hoc verum esset, cicuta partibus imposita & illita gangrænam generaret, non tolleret.

"Quidam glandis inflationem maxi"mam & lucidam, quam Lutetiæ crystallinam "vocant, incurrit cum insano penis dolore. "Huic immisso per patentem præputii hiatum "cicutæ folio leviter digitis trito, sedatus bre"vi dolor, eo denique repetito tumor omninò

discus-

discussus est, quod postea sæpius expertus "
in secretis habui ad hanc diem. Henricus ab "
Heer observ. medic. libr. 1. observ. 7.

Cicutæ ut veneni peccantis antidota sunt, quæ aliorum narcoticorum, ut opii, hyosciami, mandragoræ, solani, inter quæ excellunt acida. Unde Hieronymus Tragus libr. 1. cap. 159. histor. stirp. se vidisse refert mulierem quandam honestam, quæ cum inter pastinacas radice cicutæ fortè fortuna vesceretur, ebriam quasi & insanam redditam fuisse, ut in altum scandere, & subvolare conaretur, cui haustu aceti subventum est, ut ad mentem rediret. Nam uti sol nebulas, ita acida exhalationes narcoticas sursum ad cerebrum ascendentes, & ei caliginem inducentes discutiunt. Statim ab initio veneni assumpti emetica prosunt. Dioscorides contra cicutam sumptam lac bubulum & asininum potandum offert, quod non est sine ratione. His enim acrimonia cicutæ nervosum genus irritans, obtunditur, tùm exhalationes sulphureæ superiora capitis petentes reprimuntur. Quod etiam nitrum præstare, quod Aetius laudat, credo.



Caput XIX.

De Mandragorâ.

MAndragora herba est pomifera radicem habens, quæ hominis partes inferiores quodammodo repræsentat, Germanis Alraun nominata.

Eadem non in nostris terris nascitur, sed cortex radicis ad nos aliunde & potissimum ex Italiâ asportatur.

Odore est, uti Matthiol. in Dioscord. libr. 4. cap. 16. admodum gravi, nauseabundo, amaro, & injucundo gustu. Certa itidem copia & mensura ad lædendum requiritur.

Venenosam esse extra dubium est. Nam ejus potu facile ægrotantes in veternosum soporem delabuntur, quin & segnes, & languidi, & tristes, & exsoluti fiunt, adeò ut clamoribus & torsionibus excitati repente rursus tanquàm amentes recidant, si quantitas sumpti veneni largior, planè hominem occidit.

Duo igitur Mandragoræ intus sumptæ abusum consequuntur, sopor & delirium, quod hoc venenum cum opio, hyosciamo, solano commune habet.

An Mandragora morbis ut remedium opponi possit, adhuc inter Medicos controvertitur.

Dan.

Dan. Ludovici dissert. 1. de anodyn. mandragoram agyrtis relinquendam, atque eo ipso eam remedium Medico indignum esse statuit.

Bonnettus mandragoram, ut hyosciamum intus propinare nefas esse ducit, habere enim ea sulphur impurum, naturæ inimicum.

Unde hujus remedii usus internus hodie est rarissimus.

Quicquid autem nostri Medici de mandragoræ virtute medicâ statuant, Veteres tamen eam in medicinâ non aversabantur, quod ex Galeno patet, qui libr. 9. cap. 5. radicem Mandragoræ ad fluxum dysentericum cohibendum commendat. Idem cap. 4. loc cit. contra dolorem colicum eam præscribit, ubi inquit, Andromachum etiam aliâ compositi-" one contra colicam usum fuisse, quæ etiam " alia quædam habet præter priora ejusdem " generis cum opio & hyosciami semine exi-" stentia, velut malorum mandragoræ suc-" cum, ut qui ex radice ejus expressus est, &" succum cicutæ: & paulò post; Colica Tullii, id est remedium ejus succum Mandragoræ itidem recipit. Colica Terentii Valentis constat ex Senonis, piperis alb. sem. hyosciami ℥xj. succ. papaver. ℥xx. croc. ℥viij. vel ut alii, ℥vj. cortic. rad. mandragor. ℥iij. mellis q. s. Colica Apollonii inter alia succum mandragoræ admittit. Alia, ut Nicostratus Isothe-

os appellata empta talentis duobus, faciens ad stomachicos, oculorum dolores & vexationes, vulvæ labores, ex aquâ mulsa incocta rutâ usurpata succum mandragoræ admittit.

In pectoris affectibus, ut hæmophthisi, pleuritide, destillationibus acribus, &c. ut magnus est usus remediorum narcoticorum, ita etiam radicis corticis mandragoræ, uti ex Galeni libro 7. de compos. Pharmac. sec. loc. cap. 5. patet. quale est hoc ℞. rad. cortic. mandrag. sem. hyosciam. alb. ā. ℥iiij. laur. cretic. ℥iiij. thuris mascul. succi papav. croci, myrrh. ā. ℥v. trita redige in pastillos obolares. Plura hujus sortis vide loc. cit.

" Aliqui, inquit Dioscorides libr. 4. cap.
"71. radices Mandragoræ in vino ad tertias co-
"quunt, & defecatum jus servant, cyathoque
"uno utuntur in pervigiliis & doloribus, &
" ante sectiones & ustiones, ne sentiantur, &
"paulo post: loc. cit. Mandragoræ drachmam
"1. in pane, offâ, obsonio devoratam usum
"rationis intercipere aiunt, obdormiscit enim
"homo eo, quo comederit, statu, sensus im-
"pos, senis, quaternisque, ex quo data est,
"horis. Hac Medici utuntur.

Ternæ minæ mandragoræ in vini dulcis metretam conjiciuntur, dantur ex eo terni cyathi iis, qui secari, aut amburi debent, ut ante dictum est, si quidem nullo tunc afficiuntur dolore. Idem

Mandra-

Mandragoræ tanta vis narcotica inest, ut etiam solùm odorata, somnum inducat, uti accidit Levino Lemnio, qui hujus fructus stirpem negligenter in musæo reponens inde somnolentus est effectus, ut sopor ægre excuti potuerit. Joh. Schenk. observ. 165. libr. 7.

Mala mandragoræ soporem afferunt olfactu, & etiam si manducantur, item expressus ejus succus, cujus nimio odore percussi obmutescunt. Dioscorides loc. cit.

Quid veteres Medici de Mandragoræ temperie statuerint, id Galenus de compos. pharmac. secund. loc. libr 7. cap. 5. docet, quando inquit, colicas confectiones stupe-" factoriam vim prædominantem habere ex" multitudine refrigerantium pharmacorum." Quale est semen hyosciami. cicuta, & papa-" veris succus, & cortex radicis mandragoræ." Quod verò mandragora calidæ naturæ sit, id probat ejus odor, sapor, atque fortis emolliendi & resolvendi virtus, de quâ paulo infra, & qualis etiam in aliis narcoticis calidis ut cicutâ, nicòtianâ, hyosciamo, &c. deprehenditur. Tum quoque effectus præternaturalis, & deliria, non aliter ac hyosciamus, producens.

Sed nec recentiores Medici usum mandragoræ internum omnino omittebant.

Tincturâ mandragoræ & hyosciami ad maniam curandam usus est Paracelsus, quod

ferè convenit cum doctrina Dioscoridis qui succum mandragoræ duobus obolis ex mulso potu, ut veratrum, per vomitiones atram bilem, pituitamque extrahere, verùm potu largiore vitam adimere loc. cit. scribit.

Michaelem Ettmüllerum usum mandragoræ magnifecisse ex verbis ejus supra cap. de hyosciam. citat. liquet, quibus hyosciamum mandragoram, solanum, ipsumque salutiferum papaver vulgò sub venenorum classem redigi testatur, cum tamen horum legitima præparatio, & usus divinas manus medentibus porrigat, & nunquam satis deprædicandam opem ferant.

Quænam autem horum venenorum legitima præparatio, & in quô ea consistat, nec Ettmüllerus nec alii hactenus docere potuerunt. Nam uti acida narcoticorum remediorum vim infringere, atque fumosas eorum exhalationes â ventriculo ad caput ascendentes, non secus ac aqua in ignem injecta, repellere posse, non negari potest, ita nec hoc, quod ea, uti etiam jam de opio fuit notatum, simul etiam virtute suâ medicâ & salutari privent. At invenire tale corrigens, quod solùm noxiam qualitatem, servatâ utili, tollere queat, est valdè difficilè, immò impossibile, quia qualitas remediorum medica cum venenatâ eadem est, nisi quod ea in quantitate excedat. Quod iterum exemplo vini & ejus spiritus

ſpiritus demonſtrari poteſt. Illud enim ſi ſobrie bibatur, vim ſuam confortantem egregie exſerit, ſin verò largius & immodicè ſumatur, veneni narcotici effectum edit, ejusque naturam æmulatur, dum corpori inſaniam & torporem inducit. Qui igitur vinum, ſpiritum vini ſpagyricè ita reſolvere, & latitantem in iis qualitatem confortantem & narcoticam ita ſeparare poteſt, ut hâc ſublatâ ſervetur altera, ille mihi erit magnus Apollo, ejusque ſubtili & arcano invento in corrigendis etiam aliis rebus narcoticis magnopere applaudam.

Externè remedia ex mandragorâ applicata multorum morborum medela ſunt. & imprimis ea ocularibus affectibus deſtinantur.

Folia recentia convenienter oculorum" inflammationibus & collectionibus, quas" ulcera citarunt, cum polentâ illinuntur, du-" rities omnes, ſuppurationes, ſtrumas & tu-" bercula diſcutiunt, ſtigmata ſine exulcerati-" one delent, ſi quinis, ſenisque diebus ſen-" ſim perfricantur. Folia ſervantur in muriâ" eosdem ad uſus. Trita radix ignibus ſacris" ex aceto, & ſerpentium morſibus ex melle" aut oleo medetur. Strumas, atque tubercu-" la cum aqua diſſipat, articulorum cruciatus" cum polenta ſedat. Dioſcorides loc. cit.

Mandragora, epiphoris, quod certum" eſt, medetur, & oculorum dolori radix tuſa" cum roſaceo & vino. Plinius Natur. hiſtor." libr.

"libr. 25. cap. 13. Nam ſuccus multis oculo-
"rum medicamentis admiſcetur, & paulò
"poſt. Odor mandragoræ gravis, ſed radicis
"& mali gravior, &c. Gravedinem affert etiam
"olfactu, quanquam mala in aliquibus terris
"mandantur, nimio tamen odore obmute-
"ſcunt ignari. &c. ob hæc ſatis eſt quibusdam
"odore ſomnum quæſiviſſe.

"Cicutam, mandragoram ad oculorum
"dolores, rubores & inflammationes uſurpa-
"re, in praxi non eſt infrequens, uti & radi-
"cem, folia & ſemen hyoſciami, uti ex Di-
"oſcoride patet. Theod. Mayerne tractat.
de arthritid.

Remedia oculorum dolores & inflammationes ſiſtentia, & ex mandragora, cicuta, hyoſciamo conſtantia (quibus noſtrates jure folia nicotianæ adjicere poſſunt) ex Galeni libr. de compoſit. remedior. ſecund. locos haberi poſſunt.

" Sedum majus, portulaca, folia hyoſci-
"ami, mandragoræ ſolani viridis contuſa, vel
"panno involuta, vel ſub cineribus parùm
"cocta appoſita validè dolorem oculorum
"compeſcunt. Felix Platerus de oculor. do-
"lor. curat. p. m. 304.

Ad aſtringendum, & ſimul dolorem leniendum ℞. fol. plantag. ſedi maj. ſolan. a. man. ß. fl. roſar. viol. a. p. ß. ſem. pſyll. papaver. alb. a. ℥ij coque in aqua, ſi radic. mandra-

gor.

gor. ℥ij. addantur dolorem citius compescet. loc. cit p. 306.

In oculorum dolore ejus infusum in aquâ appropriatâ adhiberi solet. Frider. Hoffmann. pharmac. libr. 4. sect. 1. §. 212.

Extrinsecus usus Mandragoræ est in oculorum rubore ac dolore, erysipelate, in tumoribus duris, strumâ. Joh. Schrœder. Pharmac. libr. 4.

Cicutam, mandragoram, scirrhum mammarum resolvere, atque unâ cum galbano, ammoniaco, opopanace, radice scrophulariæ, nicotianæ applicanda commendat Theodor. Zwinger p. m. 272.

Ad scirrhum lienis resolvendum multi Practici succum mandragoræ non minùs, quâm cicutæ conferre statuunt, cujus exempla & remedia passim in authoribus descripta extant.

Relatum mihi â quodam mercatore „ Turcarum commercio utente Monspelii „ Lupiam sive Ganglium satis amplæ magni- „ tudinis fronte evanuisse applicatione sæ- „ pius iteratâ pomorum mandragoræ per me- „ dium sectorum. Theodor. Mayerne tract. 4. „ de Lue Venereâ.

Lenimentum ad scrophulas, quibus cortices Mandragoræ radicis ammixtæ sunt, vide apud eundem Theod. Mayerne libr. 1. cap 19. Prax.

Narcotica etiamsi frigida ab omnibus cen- „

seantur; attamen & viscerum & lienis, & he-„
„ patis, & ipsorum ossium duritiem emolli-
„unt. Mandragoræ radix ebur emollire fer-
„tur, quæ si senis horis cum eo decocta sit, ad
„accipiendam, quam effingere optaveris for-
„mam ipsum facile reddit. Dioscorid. libr. 4.
cap. 65. Theod. Mayerne loc. cit.

Quæ verba Mayerniana ita accipienda sunt, ac si is dubitaret de frigiditate narcoticorum, & mandragoræ, & voluisset dicere: narcotica quidem censeri ab omnibus frigida, & tamen ea scirrhos viscerum emollire, qui morbi sunt frigidi, & ad sui curationem remedia calida poscunt, atque hanc virtutem narcoticorum resolutoriam ea magis calida esse probare, in quo quidem non erravit Mayerne. Nam scirrhos sæpius viscerum affectus frigidos esse omnes agnoscunt Practici, qui morborum causas probe sciunt. Ubi diligenter notanda sunt verba Galeni libr. 9. de composs. medicament. secund. loc. cap. 8. dicentis.
Quæ verò ob frigidos & viscosos humores
„in solidis corporibus imbutos indu-
„rantur, ex necessitate frigidam habent affe-
„ctionem. Quare & calefacientibus, simul-
„que tenuium partium opus habent, hæc e-
„nim sufficientia sunt, & ad viscositatem hu-
„morum induratis partibus infarctorum ex-
„tergendam, & ad secandam crassitudinem, &
„discutiendos humores ita attenuatos &c.

Quæ

Quæ ſententia Galeni & Veterum, quàm multò verior eſt illâ recentiorum, qui dicunt illud humorum coagulum oriri ab acido? Nam acida, uti experientia id probat, ſanguinem coagulatum reſolvunt, ſunt partium tenuium, & ad ſecandos craſſos humores in tumoribus duris, eosque attenuandos aptarum, quæ virtus attenuatoria inter alia ex uſu oxymelitis ſimplicis, ſquillitici, de Peto Quercetani, helleborati, item gummi ammoniaci in aceto ſoluti, & contra tumores duros, ſcirrhoſos tàm intra ſumptorum, quàm extra applicatorum obſervari poteſt.

Sunt aliqui, qui in ſcirrho lienis acetum ferro candenti ignito ſuperfundunt, atque vaporem aſcendentem parte affectâ excipiunt, & ita induratam partem emolliunt.

Quia igitur hæc virtus remediorum narcoticorum, ut cicutæ, hyoſciami, mandragoræ reſolutoria & attenuatoria tumorum durorum & ſcirrhoſorum manifeſtè probat eorum caliditatem, ut aliarum rationum, quibus ſæpius laudatus D. Joh. Jacob Wepfferus contrariam, ſed falſam ſententiam oppugnare conatur, quæque in ejus erudito tractatu de Cicut. aquat legi poſſunt, hîc non mentionem faciam, mirari licet, quomodo nihilominus Medici talia pro frigidis remediis habere potuerint. Non minus mirandum eſt vulgò narcoticis remediis condenſandi virtutem

tem adscribi, quæ tamen tumorum scirrhosorum attenuatoria esse, modò dicta probant. Quod non ignoravit Felix Platerus, ut ex ejus verbis prax. habit corpor. dolor. curat. p. "m. 732. constat, ubi ita: Narcotica ratione "doloris admota, cum stupidiorem partem "reddant, non solùm præ ceteris dolorem "compescunt, sed & quia calore suo, quo con-"stare alibi jam sæpe ostendimus, humorem "simul resolvunt, proderunt, tutoque; nec i-"ta cum periculo, uti creditur, usurpantur, ut "hyosciami, mandragoræ, ac papaveris folia "recentia contusa, vel prius decocta admota "valdè juvant in dolore arthritico. Quibus verbis Platerus remediis narcoticis non solùm calefaciendi & resolvendi virtutem attribuit, sed etiam timorem eorum arguit, qui narcotica in doloribus arthriticis sopiendis propter suam incrassandi vim periculosa esse censent. Eadem repetit prax. tract. 2. de superfic. corpor. dolor. curat. p. m. 814. ubi narcotica in tumoribus erysipelaceis duplici modo & stupefaciendo & digerendo prodesse, nec eorum usum extimiscendum esse, docet.

Sunt enim hæc omnia remedia acribus, acutis particulis prædita, quibus tàm suam virtutem medicam in attenuandis crassis humoribus, quàm venenatam nervosi generis irritatrîcem, vel alteratricem exercent. Atque talia ea esse debere, etiam alia remedia contra

tumo-

tumores duros, ſcirrhoſos, obſtructiones directa oſtendunt, qualia ſunt, gummi ammoniacum, bdellium, ſagapenum, galbanum in aceto diſſoluta, nicotiana, radix cyclaminis, bryoniæ, mercurialia, ſalia volatilia urinoſa, martialia, quibus non ſufficientibus veteres ad ipſa cauſtica, uti capite de arſenico diximus, immo ad ipſum ignem, noſtrates Medici verò ad Mercurium ſublimatum & præcipitatum rectiſſimè aſcendebant, hæc enim omnia ſunt tenuium partium, & ut cum Galeno loquar, ad ſecandos viſcoſos humores, tumorum ſcirrhoſorum authores, apta.

At inferat quis, ſcirrhum eſſe tumorem induratum, qui emollientia magis, quàm exſiccantia remedia, qualia ſunt intensè calida, exigat, atque ideò calidiſſimorum remediorum uſum in curatione ſcirrhorum, & aliorum tumorum durorum â multis Medicis diſſuaderi, quia ſumma caliditas neceſſariò & ſemper ſecum conjunctam habet qualitatem ſummè exſiccantem, quæ tumoribus duris minimè convenit. Ad quod reſponderi poteſt, emollientia duplicia eſſe, quædam enim humectando emolliunt ea, quæ â calidis fuerunt indurata, qualia ſunt omnia humectantia, lenientia, refrigerantia, mucilaginoſa, ut aqua communis, lac & inde parata, mica panis albi cum lacte & pauco croco pro cataplasmate, & alia cataplasmata ex farinis hordei, tritici

tritici, lacte, radicibus mucilaginosis, ut althææ, herbis malvæ, parietariæ verbasci, composita, emulsiones arte paratæ, oleum expressum amygdalarum dulcium, liliorum alborum, olivarum, albumen ovi, oleum rosarum, violarum, pinguedines; alia sunt, quæ acribus, acutis & igneis suis particulis poros corporum subeunt, ea resolvunt, & ita emolliunt. qualia sunt omnia calidissima, immo ignis ipse, quem ferrum, aurum, argentum & omnia metalla liquare & emollire, omnibus notum est. Hæc licet exsiccantem naturam habeant, resolvendo tamen dura corpora effectum emollientem edunt.

Si jam quæritur, quænam species emollientium tumoribus duris, scirrhosis resolvendis & curandis adaptanda sit, an ea quæ ut aqua, an quæ ut ignis emolliunt, dico propter jam ostensam rationem posteriora magis proficua esse, quàm priora, ut humectantia & refrigerantia, quæ tumores magis indurabunt, humores magis condensabunt, quâm resolvent. Unde pessimè suis ægrotis consulunt illi Medici, qui ad emolliendos tumores duros in remediis & diætâ humectantia & refrigerantia præscribunt, è contrario vana est solicitudo eorum, qui intensam caliditatem medicamentorum in curatione tumorum durorum, & scirrhosorum timent, & credunt eorum usu & applicatione eos magis induratum iri. Nam

rem:-

remedium, quo majorem caliditatem habet. eo majorem etiam vim resolvendi & emolliendi habebit. Si igitur Medici practici in scirrhis mammarum usum emollientium tanquam periculosum proscribunt, ut facit D. Dolæus, Ettmüllerus, qui cap. 10. de lactis vitiis tumores mammarum per suppurantia & emollientia propriè dicta in cancros degenerare docet, id non ita simpliciter, sed cum distinctione, nempe de humectantibus, mucilaginosis, oleosis, non verò de iis, qui particularum suarum acutie resolvunt, intelligendum est, qualia sunt cicuta, mandragora, &c. atque etiam hîc observari debet, commune dictum, qui benè distinguit, benè docet.

Nec video quî optatum effectum (hâc stante doctrinâ) remedia ex emollientibus seu humectantibus & simul dissipantibus & discutientibus composita, qualia contra scirrhos lienis præscribere nonnullis consuetum est, edere possint. Quia istiusmodi pharmaca ex contrariis simplicibus constant. & quia sum̃a curationis in resolutione & discutione materiæ viscosæ consistit, quam humectantia impediunt, atque eapropter tantum nocent, quantum discutientia juvant. Ita acetum, ammoniacum, cicuta, hyosciamus, nicotiana, mandragora habent partes acutas pungentes dissolvendis & dividendis viscosis partibus idoneas, quas per ammixtionem hu-

mectan-

mectantium obtundere, est simul ea privare virtute suâ medicâ.

Quod mandragora epiphoris, inflammationibus externis, & ignibus sacris medeatur, multi putant evincere eam frigidam esse, verum hanc rationem nullius momenti esse exemplo cicutæ, camphoræ, nicotianæ doceri potest. Nam hi affectus desiderant remedia calida, acria, serum putre excrementitium ardorum & inflammationum causam resolventia & dissipantia, non verò frigida & humectantia, quæ ob eorum condensandi & repellendi vim non periculo carerent. Quare mandragora non suâ qualitate frigidâ sed calidâ, acri & dissipatoria dictos affectus tollit, & quotidie in morborum curatione evenire experimur, calida, acria remedia effectum frigidum edere ratione symptomatum, calidum verò ratione causæ morbificæ.

Ex pomis mandragoræ vel foliis hyoscyami in lacte decoctis addendo parum croci Rondeletius cataplasma stupefaciens parat.

VErum mandragoræ antidotum, si ut venenum peccet, est, quæ aliorum narcoticorum, nempe acetum, & alia acida, ut syrupus ribium, berberum, acetositatis citri, granatorum acidorum, spiritus vitrioli, salis, nitri, sulphuris. Reliqua hîc conferentia ex prioribus haberi possunt.

Caput

Caput XX.

De Solano.

SOlanum, quod nonnulli etiam Strammonium vocant, herba est baccifera, cujus radix, herba, & baccæ venenatæ sunt, & in narcoticorum classem vulgô â Medicis referuntur. Imprimis baccæ copiosius ingestæ somnum, deliria & alia gravia symptomata excitant, & quandoque mortem inferunt, unde hæc herba Germanis Dollkraut, Dollwurz, Schlaffbeer, nominatur.

Hujus veneni noxii effectus exempla apud Joh Schenkium in observationibus, & D. Joh. Jacob Wepferum tract. de Cicut. aquat. & alios authores Medicos annotata extant.

Hoc unicum de hujus herbæ radicis mirâ vi ex Mathiol. comment. ad libr. 4. cap 69. Dioscoridis adducam, scilicet, si quis hujus radicis drachmam pondere crassiusculè tritæ" in vino per septem ad summum horas maceraverit, & vinum percolatum jejunus degustaverit, fiet, ut is nullo modo edere poterit," nisi epoto paulo post aceto. Hoc enim an-" tidoto fucus statim eluditur, reditque qui" sumpsit ad cibum. Jocus est magnus ubi" quis gulosis parasitis hoc apposuerit vene-" num, cum mensis optimis cibis refertis assidentes nihil prorsus cibi ingerere queant."

Similia de hujus radicis qualitate in vino maceratæ etiam notavit Gesnerus libr. 1. epistol. cap. 34.

Tale vinum bibens (inquit Joh. Baptista Porta magiæ natur. libr. 14. cap. 13.) post assumptum bolum cibi nullâ diligentiâ, conatu, aut labore deglutire poterit sine faucium læsione aut dolore, ut vix potum admittat.

Hanc deglutiendi difficultatem etiam â baccis solani comestis ortam notat historia cujusdam pueri, quam describit D. Camerarius in Joh. Jacob Wepfferi tract. de Cicut. cap. 17.

Verùm nec desunt Medici, qui Solani virtutem medicam observarint, & annotaverint. Sic refert observatio 64. ephimer. Natur. Curios. decur. 2. anni 3. dysenteriam per vinum, cui infusæ erant baccæ solani summo cum fructu & successu, quo enormis fluxus sistebatur, dolor demulcebatur, malignitas per sudorem resolvebatur, curatam. Ex quibus constat Solanum easdem virtutes obtinere, quas opium, quod quantâ virtute in sistendo fluxu dysenterico, doloreque ejus sopiendo, sudore promovendo, præditum sit, nemo nescit.

In scholio ad citatam observationem meminit Exc. Lucas Schrœkius syrupi Gesneriani, quem Gesnerus libr. 1. epistol. ad Achill. Gasserum,

Gasserum, cap. 34. mirè effert. De solano sylvatico (si prius non scripsi, sum enim nimis obliviosus) hoc â me accipe, & cela omninò tanquam mysterium; succum ex ejus fructibus(acinis, qui cerasa referunt) expressum, & ad syrupi consistentiam cum pauco saccharo decoctum, ita efficacem esse, ut vel ligulæ, aut cochlearis parvi mensura somnũ inferat, fluxiones sistat, dolores tollat, dysenteriam curet, gratus est planè, sed cavendum ne amplius detur. Ego cum laude usus sum. vide Joh. Schenckium libr. 7. observat. 164. de Venen. Verùm de hoc syrupo Gesneriano sinistrè judicat Geòrg. Hieron. Welsch, atque Gasserum ab ejus usu merito eâ quâ erat prudentiâ semper abstinuisse refert. Sed magis est amplectendum judicium Exc. D. Lucæ Schrœkii, qui loc. cit. usum hujus medicamenti non reprobat. Nam si fortiora narcotica, ut succum papaveris, & opium Galeno in quarto gradu frigida in Medicinâ non formidamus, quod periculum timendum est â debiliore, ut succo solani, quem Galenus in tertio gradu frigidum constituit?

In hoc Gesneri experimento multa sunt, quæ ad confirmandam nostram opinionem faciunt.

Nam primò remedium ex classe venenorum desumptum, tanquàm summum arcanum deprædicat, quod & nos ubique faci-

mus; secundò in exhibendo remedio intra parvam dosin subsistendum esse admonet, quod in exhibitione omnium venenorum sedulò admonemus, si ea remedii officio fungi velimus; tertiò baccarum solani succum citra ulteriorem ejus præparationem in syrupum coquit. Nam remediorum venenatorum naturalem qualitatem per superfluas correctiones & præparationes non debilitandam & aufferendam, sed solicitè conservandam esse, jam sæpius probavimus.

Decoctum baccarum aliquot solani maniaci specificum contra hydrophobiam appellatur â Theodoro Mayerne tract. de morb. extern. 2. cap 12. p. m. 136.

Pilulas de strammonio ad dulcem somnum, suaviaque insomnia concilianda commendat Bartholetus, uti de eo D. Joh. Michael Prax. clinic. part. 2. cap 2.

De solani somniferi radicis corticis facultate ex Galeni libr. 8. simplic. medicament. Matthiolus commentar. in Dioscor. libr. 4. "cap. 69. 6. hæc habet. Solani somniferi cor-"tex radicis, si cum vino bibatur, somnum ac-"cersit drachmæ pondere sumptus, sed & ad "cetera quoque papaveris succo persimilis "est, nisi quod eousque imbecillior est, ut i-"pse tertii gradus habeatur refrigerantium, "cum hic in quarto sit constitutus.

Verùm uti Galenus, & cum eo veteres Medic

Medici omnes de opii temperamento errant, ita etiam ſolanum frigidum eſſe falſo aſſerunt, licet eadem de ſolani temperamento opinio etiam aliorum Medicorum ſit, quam verò firmis rationibus refutavit Joh. Jacob Wepffer tract. de Cicut. aquat. cap. 17. quia, uti etiam ille rectè infert, ſymptomata â ſolano excitata, nec non ejus virtus diaphoretica, modò ſupra notata, atque ita qualitas ejus venenata & medica, illud calidum eſſe demonſtrat, & quia omnia hactenus recenſita & examinata venena narcotica calida eſſe probavimus, etiam valde probabile eſt ſolanum idem cum iis temperamentum obtinere.

Solani ſemen urinam ciendi vim habet," verùm ſi plus duodecim corymbis hauſeris," dementiam furiamque aſciſcet. Dioſcor."

Sunt, refert Andr. Matthiolus loc. cit." qui hanc plantam in uſum medicum, ut au-" dio, trahant, ſiquidem, ut quidam promit-" tunt experimentatores, aqua ex totâ plantâ" deſtillata pota duorum, aut ad ſummum tri-" um cochleariorum menſura internas viſce-" rum inflammationes extinguit, nullo cor-" poris incommodo, ſed, ut illi ajunt, â copi-" oſiore potu abſtinendum. Idem præſtat ex-" terius admota ad eryſipelas, ſacros ignes, &" alios calidos effectus. Contuſa folia & illita" oculorum palpebrarumque phlegmonas le-" niunt. Unde aqua ſolani etiam inter ophthal-" mica remedia â Medicis referri ſolet." Ex-

"Externè succus ex baccis solani tetra-
"phylli (quod vulgo herba Paris) expressus
"ad epiphoras & ophthalmiam præcellentis-
"simum est remedium, ideoque anima ocu-
"lorum appellatur. Georg. Hieron. Welsch
Mictomimemat. 25. in Epimer. Nat. Curios.
Anni 4.

In erysipelate, dolore capitis, in æstu febrili mitigando solanum capiti & pedibus applicatum, in parotidibus confert. Joh. Schrœder. libr. 4. class. 1. § 328.

Solanum hæmorrhoidibus dolentibus, & tumentibus ex consilio D. Binningeri centur. 4. observ. 58. impositum, eorum dolorem compescit, & tumorem sanat.

Succi solani communis usus est in unguentis & cataplasmatibus contra cancrum ulceratum & non exulceratum mammarum uti Medicorum libri testantur.

Ceterum quia baccæ solani vires habent opii viribus persimiles, non dubitarem, si quis etiam in aliis affectibus, in quibus opium usurpari solet, iis uteretur, eas eundum effectum habituras esse.

In quibus morbis solanum non conveniat, & quâ methodo exhibendum sit, ex capite de opio, & hyosciamo intelligi potest.

SI solanum ut venenum nocet, & corpus lædit, acetum commune omnium venenorum

rum narcoticorum alexiterium, ei opponendum est, cujùs usum etiam commendat Gesnerus loc. cit.

Solani radicis particula, inquit, fortè" dimidiæ drachmæ pondere, si in poculum" vini injiciatur, & de illo vino alicui propi-" netur (id quod per jocum, & ad lusionem a-" liquos factitasse scio) per horam aut dimidi-" am ante cœnam eum qui gustavit, in cœnâ" ab omni cibo alienum futurum, &, cum nec" ægrotet, nec doleat, edere tamen non posse," quod si cochleare aceti aut succi limonum" biberit, statim liberatur, & edit. Hoc argumento contra alia etiam ejùsmodi venena maximam aceti, aut limonis, succive citrei vim esse conjiceris.

Verùm ante omnia videndum, ut dato emetico venenum in stomacho existens per vomitum eliminetur.

Theriaca contra solanum data magis noxia quàm proficua erit. Nam caliditas ejus, & acrimonia, solani vim acrem & virtutem calidam augebit. Accedit, quod si theriaca recens esset, ob adhuc fortem vim opii, quod theriacam ingreditur, veneni vis & vires magis intenderentur.



Caput

Caput XXI.

De Cynoglossa.

CYnoglossa herba est, cujus flores & folia sed præcipue radix in usum medicum veniunt.

Quamvis autem de hujus virulentiâ authores ferè sileant, sunt tamen aliqui, qui eam narcosis virulentæ suspectam in remediorum numero non tollerari volunt. Ego verò formidinem de innoxio remedio, si dextrè & methodicè usurpetur, supervacaneam esse judico, idque eo magis cum vis narcotica in aliis & cynoglossa fortioribus, ut opio, hyosciamo non timeatur, nec timeri debeat. Licet si nimis liberaliter & incongruè exhibeatur, in hominis sanitatem & vitam peccare posse non abnuerim, quod verò non sufficit ad eam è remediorum numero expungendam, cum experientia constet, eam etiam insignes habere virtutes medicas. Et si cynoglossa propter meram suspicionem narcoseos noxiæ exterminanda esset, tunc ipse crocus itidem narcoseos noxiæ, si ejus nimium exhibeatur, non expers, immò vinum & spiritus vini, in remediis & diætâ exulare deberent.

Unde Medici nihilominus ejus usum in multis morbis suadent, & extollunt.

In officinis prostant ad usum pilulæ de cyno-

cynoglossa Nicolai, vel Mesue, de cynoglossa cum castorio Augustan. quæ ad catarrrhos tenues â capite ad pectus delabentes, & inde natam tussim sistendos, somnum conciliandum sunt usitatissimæ.

Neque harum pilularum usum impedire potest, quod tria venena cruda, ut opium, radices hyosciami, semine ejus virulentiores, & radices cynoglossæ, omnia â Medicis malignitatis accusata, & suspecta ejus compositionem ingrediantur. Nam quod hæ pilulæ in Pharmacopoliis nostris inter usitatissima prostent, iisque quotidie cum fructu utamur, id invictum augumentum est, timorem de horum remediorum venenositate & malignâ narcosi conceptum vanum esse, atq; sinistra ab eorum exhibitione provenientia abusui attribuenda esse. Si enim hæc remedia sunt venenata, si correctione indiga, atque unum eorum crudum exhibitum magnum ægroto malum causari posset, quanto majus proveniret ab eo remedio, in cujus compositione tria venena narcotica accumulata sunt. Sed, uti dixi, tantum abest ut illud noceat, ut potius ejus effectum & utilitatem augeant quatuor ad unum scopum collimantia simplicia.

In observatione 88. Ephimer. Nat. Curios. anni 1696. annotatur pilulas de cynoglossa in convulsionibus ipsum opium superasse, ubi etiam hæ pilulæ excellentissimum

audiunt antispasmodicum. In Ephimer. loc. cit. quædam convulsa à gr. x. pilularum de cynoglossa in aquâ flor. tiliæ solutis incantamenti instar liberatur, ex opio verò somniferi nihil experitur. Pilulæ de cynoglossa ad gr. iij. unâ cum auri fulminantis gr. ij. etiam infantibus epilepticis commendantur.

Verùm, uti dixi, hunc suum effectum hæ pilulæ non solùm radici cynoglossæ, sed etiam hyosciamo, opio, croco debent, quæ unâ cum hac harum compositionem ingrediuntur, & ejus virtutes augent.

Prostat etiam in officinis unguentum de cynoglossa, seu buthyrum ejus tàm internè quàm externè usurpandum, quod exhibetur ad contusa, suggillata, sanguinem concretum dissolvendum, dolorem pleuriticum sedandum, dolores podagricos mitigandos. Est præterea anodynum præstantissimum, & variis casibus accommodatum. Augustani.

Hujus unguenti vices agere potest, quod etiam est consilium D. Dan. Ludovici dissert. 1. pharmac. si loco radicis cynoglossæ hyosciami radix in buthyro coquatur, coletur & deinde sumatur, vel applicetur.

"Radix sicca pulverisata in vino rubro "pota dysenteriam, gonorrhæam sanat, im"moderatum mensium fluxùm sistit, & omnis "generis vulnera & ulcera curat. Frider. Hoffmann. Clav. Schrœder. sect. 1. libr. 4. §. 133.

℞. rad.

℞. rad. cynogloss. oliban. boli armen. ā. ℥j. tragacanth. ℈ij. myrrh. ʒß. opii, spic. ā. ℈j. croc. ʒß. cum succo cynogloss. f. massa dosis ʒß: ad ℈ij. Catarrhos, tusses, alvi fluxum certissimè sistunt. Joh. Langius libr. 3. cap. 8. p. m. 858.

An cynoglossa frigida sit, an calida, inquiri meretur. Ego cum D. D. Wepffero eam unâ cum opio, hyosciamo, mandragorâ, cicutâ calidam esse judico. Vulgò eam frigidam esse credunt. Errori occasionem dedit vis cynoglossæ narcotica, quam virtutem narcoticam non nisi â frigiditate provenire posse opinabantur veteres. Quanquam autem iis concedendum sit, quandam narcosin â frigiditate oriri, qualis est illa, quæ â pituitâ sanguinis motum circulatorium ad cerebrum intercipiente & spirituum vitalium influxum in illud impediente, atque carum, & eum subsequentem apoplexiam generante oritur, non tamen id de omni narcosi intelligendum est. Nam sunt multa narcotica calidissima, quæ copiosum sulphur volatile ad cerebrum exhalant, atq; spiritus vitales ibi degentes, non secus ac fumus ignem suffocant, vel eos inquinant, atq; in officio suo peragendo impediunt, inter quæ nonnulla sunt tantæ vehementiæ, ut vel solùm odorata hunc effectum præstent, quod fieri de opio, mandragorâ, croco, experiri licet. Alias pro narcoticorum, ut opii, hyosciami &c. caliditate pugnantes rationes hic

hic repetere non est opus, quæ etiam apud alios authores legi possunt.

Externè radix cynoglossæ à Frider. Hoffmanno loc. cit. unâ cum herbâ laudatur ad ulcera inveterata, & maligna, item hujus aquam ad mariscas seu hæmorrhoides collutione & inspersione esse efficacissimam, item ad ambusta, dolores, alopecias. Nec non pulverem & decoctum radicis ad ulcera ex lue venereâ contracta pulvere insperso, decocto ulcera eluente, idem scribit.

"Componitur etiam inde emplastrum in "vulneribus insignes virtutes emollientes & "anodynas habens, licet rarissimè à Practicis "adhibeatur, sed quæ rara, chara sunt. Idem loc. cit.

Nostrates mulieres ad abigendos & resolvendos tumores mammarum unguento de cynoglossa utuntur, cui, si fortius reddere cupimus, spiritus vini crocatus addi potest.

Lixivio cynoglossæ capite abluto eique deinde pinguedinem natricum illinito, internè exhibito Mercurio dulci, item pulvere viperino in vino saccharato sæpius sumpto à tineâ & alopeciâ curatur generosissima Comes à Fleckenstein.

℞. rad. siccat. hyosciam. vel pomor. siccor. mandrag. sigill. B. Mariæ ā. ℥j. rad. cicut. ℥ß. cinnab. Mercur. dulc. capit. cerv. ā, ʒvj. gum. ammo-

ammoniac. ſucco cicut. & mandragor. ſolut. & inſpiſſat. ℥ij. camphor. ʒij. Terantur terenda in alkohol ſeorſim Deinde ℞. maſſ. emplaſtr. de Vigon. Mercur. quadruplicato ʒvj. emplaſtr. de mucilagin. ℥ij. Emolliantur ad levem calorem cum pauco oleo lilior. alb & quartâ parte axungiæ viperinæ poſtèa in corporentur omnia exacte, & f. emplaſtrum maſsâ prius per aliquot dies in cellâ malaxatâ. Loco pulveris rad. hyoſciami præſtat ecchyloma è ſuccis præparare, & ad conſiſtentiam reducere, quod fieri poteſt ex aliis quoq; narcoticis, ut quoque e rad. bryon. cynogloſſ. cortice median. ulm. &c. quæ omnia inſigniter emolliunt. Eſt præſtantiſſimum ad tophos arthriticos Mayerne tract. 3. de morb. extern.

Hanc virtutem emollientem cynogloſſa unâ cum aliis narcoticis, ut mandragorâ, cicutâ, hyoſciamo communem habet. Unde ad reſolvendas ſcrophulas utiliſſimum eſt emplaſtrum gummi ammoniaci in ſucco cicutæ & cynogloſſæ diſſoluti, & internè potus ordinarius conſtans ex cereviſiâ radicibus cynogloſſæ, ſcrophulariæ majoris, filipendulæ, graminis bulboſi medicatæ, addita bona quantitate guajaci admodum reſinoſi & ſpongiæ bedegnaris, iuxta præceptum D. Theod. Mayerne Prax. libr. 1. cap. 19. & ramentis ſtanni Anglici.

Lienem recenter mactati bovis in tumore

re & duritie lienis ejus regioni adhuc calidè applicatum multis proficuum fuisse scio, verùm si juxta Mayerne prax. libr. 3. cap. 12. decoctum paratur, cui inter alia cortic. med. ulmi, sambucus, cicuta, & cynoglossa accedunt, eique immergantur duo lienes bovis, & calidè per horam applicentur, illud magis emolliet.

Virtus cynoglossæ narcotica si peccat, ea per acida est impugnanda. Reliqua dicenda vide in prioribus.



Caput XXII.

De Nuce vomicâ.

Nux vomica fructus est arboris in Indiâ orientali crescentis, & inde â Batavis per mare ad nos advecta, quæ verò veteribus planè fuit incognita. Sapor ejus est acris, & amaricantissimus, odor nullus.

Communiter inter venena refertur, & quidem non immeritò. Nam horrenda symptomata, ut convulsiones, cordis anxietas, rigore & torpore partium, atque ipsa morte subsequentibus ab ejus usu interno proveniunt.

An tàm atrox venenum in Medicinâ contra morbos locum habeat, de hoc authores Medici contrarias fovent opiniones.

Primi

Primi Arabes nostris temporibus nucis vomicæ usum in Medicinam introduxerunt, & nullus dubito, si antiquioribus Medicis hæc nux fuisset cognita, quin etiam plura de hujus fructus utilitate & usu ex eorum monumentis producere possemus, ut qui in usu venenorum cordatiores fuerunt nostris Medicis, quibus ad infamandum remedium, & veneficii condemnandos eos, qui his utuntur, satis est audisse nomen veneni, quâ verô opinione nihil aliud perficitur, quàm quod materia medica insigniter mutiletur, & optimâ sui parte privetur. Quot enim hujus census remedia in pharmacopoliis irrisa, rejecta, condemnata? Quod fatum etiam nux vomica experta est, cujus usum hodiè maxima pars Medicorum detestatur, atque tàm crudelem vitæ nostræ hostem nullo modo in medicinâ tollerandum esse clamitat.

Casparus Hoffmànnus libr. 2. cap. 163. §. 149. scribit, se nolle tàm temerarium esse ut eam ægrotis porrigat.

Ammannus in manuduct. ad materiam medic. 63. edit. Lips. añ. 1675. nucem vomicam ratione malignitatis admodum suspectam, & propterea â Medicis prudentioribus ex famoso electuario de ovo rejiciendam esse censet.

D. D. Daniel Ludovici dissertat. 1. de diaphoret. vegetab. p. m. 273. pharmac. modern.

dern. electuarium de ovo propter nucem vomicam suspectum quidem, sed innoxium & sat efficax nominat.

At nullus vehementius in hujus electuarii usum invehitur, quàm Franciscus Joel oper. medic. tr. 5. s. 3. p. 62. ut Samuel Polisius in suâ myrrhalog. cap. 2. Ephimer. Natur. Curios. Decur. 2. anni 6. appendic. testatur. Ille electuarium de ovo Maximiliani acri censurâ perstringit, & triplici nomine illud accusat. 1. compositionem ejus inconcinnam, ineptam, fatuam & omni εὐταξίᾳ carentem, 2. ex venenatis constantem, 3. ex extremè calidis & ἰδιοσυγκρασίαν corporis & spirituum destruentibus compositam, & ex cujus usu infiniti fuerint extincti, nominando.

Similiter D. D. Augustani nucem vomicam ex electuario de ovo rejiciendam esse judicarunt, quorum vestigia hodie fere omnes reliqui Medici sequuntur.

Mihi verò à parte eorum, qui nuce vomicâ usi sunt, & utendum esse censent, standum esse videtur, non obstante quod hæc opinio valdè paradoxologica habeatur, & parùm me movet ratio, quæ infert, nucem vomicam venenum esse, ergo eam locum remedii salubris nunquàm tùeri posse, cum etiam alia sint venena, quibus tamen optimo consilio tanquam remediis uti possimus. Sunt enim solùm venena in nimiâ dosi & ἀμεθόδως præposterè

posterè usurpata, in debitâ verò quantitate, justo tempore, & convenienti subjecto exhibita sunt præstantissima remedia, nec venenũ hîc aliud notat, quàm summæ activitatis remedium, ceu quoque crocus in justâ & restrictâ dosi sumptus cordialis, alexipharmacus & anodynus est, qui verõ in nimiâ dosi venenosus, & hominem enecare potest, quem tamen ideo nemo ex remediis exterminare conatur. Quod ipsum etiam de nuce vomicâ judicandum est, cujus, uti croci, justa quantitas homini data non solùm ei innoxia, sed etiam salutaris & alexipharmaca erit.

Quapropter illud famosissimum electuarium de ovo, in cujus compositione inter alia alexipharmaca non infimum locum sibi vindicat nux vomica, injustè damnatur.

Illius causam agit Theophilus Bonnetus Mercur. compital. libr. 19. de alexipharm. &c. 27. Suspectum quidem est quibusdam ait e-" lectuarium de ovo ob nucem vomicam, quæ" canibus, vulpibus, corvis, lupis &c. vene- " num est, quâ de causa Augustani eam ex-" clusêre ab antidoto, innumeris tamen expe-" rimentis salutaris fuit illius usus.

Ipse D. Daniel Ludovici hoc electuarium quidem suspectum, sed innoxium, & sat efficax nominat; si igitur innoxium & sat efficax est, nec suspectum esse meretur.

Illud magnis laudibus celebrat in peste

Mindererus Loimiater expertissimus Augustanus in ejus tractat. de Pestilent. p. m. 217. "his verbis: Quantis porrò viribus polleat e-"lectuarium illud de croco & ovo ad Maximi-"lianum Imperatorem P. F. August. relatum, "usus persæpe docuit, in hoc enim præter a-"lia ingredientia myrrha, crocus & campho-"ra insigniter contra veneni, & putredinis" malitiam pugnant, imprimis si in constitu-"tionibus calidioribus ad calorem ejus non-"nihil contemperandum syrupus è succo ace-"tosæ, aut limonum ei commisceatur & porrigatur.

Ejus salutarem effectum in seipso expertus est D. D. Joh. Jacob Wepfferus. Cum enim, recenset de seipso tractat de Cicut. aquat. cap. 13. schol. 2. aliquando ipse peste "correptus fuissem, atque morbum tanta viri-"um prostratio comitaretur, ut de me actum "esse creditum fuisset, Parens de salute meâ "solicitus, alio remedio bezoartico frustra „sumpto, & per vomitum rejecto, subsequen-"te magnâ anxietate, & summâ virium debili-"tate, portiunculam electuarii de ovo in ace-" to rosaceo solutam propinavit, mox obdor-"mivi, totâ nocte sudavi, manè vegetus sur-"rexi, emergente sub axillâ dextrâ bubone "parvo, qui citra suppurationem aut ulteri-" orem decubitum & usum medicamentorum "evanuit, pleneque per Dei gratiam convalui.

Quid

Quid autem ad commendandum usum hujus electuarii & nucis vomicæ præstantius proferri potuisset, quod in morbo acutissimo, incassum exhibito alio bezoartico, tam promptum & strenuum auxilium attulit, quàm hoc? Unde eo magis miror D. D. Wepfferum nihilominus ejus usum non approbare, vel ei fidere voluisse. Nam paulò ante loc. cit. se assentire iis inquit, qui nuce vomicâ non utendum esse censent, cum certa præ manibus sint, & quæ semel mala deprehensa fuerint, semper mala meritò præsumantur, aliis tamen medicamentis permixta forte minùs noxia, vel saltem ejus virulentia ita obtundatur, ne possit damno aliquo afficere. Se meminisse, pergit, Empiricam quandam tabellas " cephalicas carè vendidisse, quarum ingredi " entium numerum nux vomica implevit, ne " moque inde læsus fuit, quamvis plures utri- " usque sexus, imprimis provectioris ætatis il- " lis manè jejuno stomacho vescerentur. Ad quam verò objectionem viri aliâs celeberrimi reponi potest, ad rejiciendum aliquod remedium non sufficere, id quandoque malum deprehendi, cum remedia sæpissimè peccent, non culpa sui, sed aliorum qui iis abutuntur, atque commune dictum est, rei abusum, non tollere ejus usum. Sic purgationes, venæsectiones, opiata, cortex chin de chinâ, & alia innumera sæpius mala fuerunt deprehensa, &

ab eorum abuſu multi homines perierunt, quis verò ea ſemper mala meritò præſumat, aut eorum uſum abroget? cum quæ culpa & noxa ſiniſtrè remediis utentibus imputanda eſt, injuſtè remediis imputetur, quæ prudentem Medicum ſi adepta fuerint, ſalutaria erunt, atque in eorum remediorum numero etiam nucem vomicam eſſe, inter alia etiam ipſum exemplum D. Wepfferi probat, qui nuce vomica in electuario de ovo ſe uſum, atque ab eo ſe ſervatum, necnon tabellas cephalicas mulieris empiricæ â multis devoratas nemini nocuiſſe ipſe fatetur. Ceterùm periculoſum eſſe remedium nucem vomicam concedo, quod verò periculum peritiâ & prudentiâ Medici facilè evitari poteſt.

Multò minùs dici & probari poteſt aliorum alexipharmacorum effectum perperam nuci vomicæ attribui, vel ejus noxam aliorum virtute obliterari, cum ille effectus ſalutaris nucis vomicæ, etiam ſi ſola, & ſine acceſſu aliorum remediorum, vel cum nonnullis paucis ab ægrotis ſumitur, ſe exſerat; præterea ille effectus non ſolùm in electuario de ovo ſed etiam in aliis compoſitionibus deprehenditur. Ita gentianæ radicem cum tantillo nucis vomicæ ſumptam contra febres intermittentes, cortice chin de chinâ præſtantiorem eſſe aſſerit D. Joh. Dolæus Encyclop. medic. libr. 4. cap. 8. p. m. 169. 1.

Non-

Nonnulli, teste Hartmanno, ex nucis vomicæ ʒ j. & vini absinthii s. q. infusum antiquartium parant. D. D. Wedelius Amœnit. mal. medic. p. m. 337. se novisse recenset, sartorem empiricum, qui nucis vomicæ usu non paucos â febre tertianâ liberavit, uti ex eo D. D. Matth. Seutter in disput. inaugurali suâ profert.

Raimundus Minderérus tractat. de Pestilent. cap. 3. non paucos ex plebe nucis vomicæ partem magno suo commodo ad sudorem eliciendum devorasse testatur.

Quid in aliis compositionibus nux vomica possit mox dicemus, quæ verò ut & electuarium de ovo non tantæ virtutis & efficaciæ essent si nux vomica in debita quantitate iis addita esset venenosa, quia illa sine dubîo vires aliorum alexipharmacorum, vel remediorum infringeret, & remoraretur, dum alexipharmaca non solùm cum causâ morbifica, sed etiam cum veneno loco remedii exhibito pugnare cogerentur, atque electuarium ex sibi invicem contrariis compositum inutile redderetur. Quapropter magis credendum est, nucem vomicam in electuario de ovo, & aliis compositionibus cum alexipharmacis ei associatis suas vires ad debellandam malignitatem conferre, quàm iis repugnare. Cui rei nobis fidem facit, insignis illa amarities, & acerrimum alkali causticum

 quid

quid præ se ferens, quod nuci vomicæ inest, quodque mumialem, uti alia amaricantia, virtutem possidet, atque fermento putredinali pestis & febrium malignarum potentissimè resistit, tum quoque cruditatem & viscositatem illam humorum in febribus intermittentibus peccantem egregie corrigit & dissipat, ceu quoque alia venena naturalia venenis morbosis, præternaturalibus, & ex corruptione & putredine humorum ortis è diametro contraria esse experimur, uti cap. de arsenic. mercurio sublimat. præcipitat. dictum fuit.

Unde debole est argumentum, quod affirmat venenum, ut neque nucem vomicam munere alexipharmaci fungi posse, cum sit spiritibus inimicum. Nam ad virtutem alexipharmacam exerendam sufficit, ut remedium causam pestis, malignarum febrium, nec non aliorum venenatorum morborum expugnet, nullo habito respectu ad spiritus nostros, quod etiam de purgantibus supra notavi, & licet nux vomica & alia venena perse naturæ & spiritibus sint adversa, quia verò causam morborum validè oppugnant, â quâ spiritus oppressi sunt, per accidens spiritibus & naturæ nostræ redduntur amica, eisque utilem operam præstant. Quo etiam referenda sunt verba Thom. Willisii censentis remedia contra pestem directa ejusmodi esse oportere, ut eorum particulæ potius miasmati vene-

venenato, quàm sanguini aut spiritibus sint congeneres. Uti autem Willisio ea remedia pestis, quæ nullam planè cum sanguine & spiritibus nostris congeneitatem, ut ita loquar, habent, ne, ut ipse statuit, â calore nostro subigantur & superentur, ad debellandum virus aliis aptiora esse facile concedi potest, ita minimè assensum meretur, quod curationem & præservationem in peste ab alexipharmacis ob similitudinem eorum cum caussa morbificâ perfici statuat, cùm alexipharmaca pleraq; præstantissima non solùm sanguini & spiritibus nostris, sed etiam caussæ pestis planè sint dissimilia, immo è diametro ei opposita. Nam in peste & morbis malignis peccat fermentum putredinale, corruptivum, quod contrariis suis qualitatibus omnia alexipharmaca oppugnant, uti alibi ostendi, atq; ejus censûs remedium unâ cum aliis venenis naturalibus etiam nucem vomicam esse, non ambiget, qui summam ejus amaritiem & acredinem ad extinguendum quodcunque miasma putredinale maxime aptum considerat.

Quare nux vomica summâ cum ratione electuario de ovo additur, verùm in quantitate debitâ, & non excessiva, ita enim omnes suas vires in caussam morbificam convertet, quæ in largiore dosi sine dubio corpus aggrederetur, & contra illud suas venenosas qualitates exsereret. Nec hoc electuarium

nuce vomicâ spoliandum esse censeo, quia hoc præcipuum ejus ingrediens est, & cui multum illius virtutis, qua præditum est, debet, & cum etiam reliqua simplicia sint alexipharmaca selectissima, non mirum est hoc electuarium virtutes theriacæ superare. Quo magis miror Franciscum *Joelem* hujus electuarii compositionem inconcinnam, ineptam fatuam appellare, ex extremè calidis constare, & hujus usu infinitos fuisse extinctos, cum tamen observationes Medicorum passim annotatæ contrarium, & innumeros ab ejus usu servatos, in eo nullum simplex esse, quod non expertissimorum Medicorum calculo sit summum alexiterium, testentur. Nam primò crocus ovo inditur, & cum vitello ejus assatur, ut pulverisari queat. De croci cordiali, alexipharmaca, & in multis morbis malignis, ubi diaphorisi opus est, polychrestâ virtute omnes Medici testari possunt. An luteum ovi alexipharmacum sit, non equidem liquidò mihi constat, neque id certò asseram, illud tamen non negari potest, vitellum ovi in assatione croci virtute imbui, atque ei corpus præbere, & si etiam supervacanea ejus additio esset, non tamen ob tantillam rem tantos clamores sustollere oporteret. Semen sinapi gaudet acredine aromatica, qua miasma putredinale consumit & dissipat, & si est calidissimum, quid exinde? Crocus, camphora, Zedoaria,

allium,

allium, myrrha, angelica, spiritus & salia volatilia urinosa, spiritus vini atque cum eo paratæ tincturæ, elixires, spiritus & aquæ alexipharmacæ, prophylacticæ, bezoarticæ sunt calidissimæ, immò nonnulla eorum naturæ causticæ & inflammantis, ut piper, Zingiber, euphorbium, & tamen in alexipharmacorum agmine consistunt, & maximam partem nobilissimorum antidotorum constituunt, & quidem merito suo. Nam quid fermenti putredinalis vires melius sistet, quàm ignis, & quæ ejus vires æmulantur. Reliqua electuarii ingredientia sunt folia dictamni albi, radix tormentillæ, myrrha, cornu cervi, radix angelicæ, pimpinellæ, grana juniperi, Zedoaria, omnia malignitati resistentia remedia, & quæ omnia reliqua ferè virtute superat, camphora, de qua verissimè judicavit D. D. Joh. Dolæus; remedium in peste & malignis sine camphora esse militem sine gladio: Longè aliter quàm D. Joelius de hoc electuario judicavit Joseph. Quercetanus libr. 1. cap. 22. p. m. 169. ubi se compositionem electuarii de ovo non contemnere, nec primam inventionis gloriam suis authoribus invidere fatetur.

Quomodo igitur de hoc remedio dici potest, quod ab ejus usu infiniti fuerint extincti, quos magis vi morbi, quàm ob usum remedii mortuos fuisse multò magis credendum est.

Sed præter electuarium de ovo etiam alia sunt remedia, quæ nucem vomicam, & quidem in sat largâ dosi admittunt, inter quæ est celebre electuarium camphoratum Kegleri, ut ℞. rad. dictamn. alb. tormentill. ā. ʒij. Zingiber. alb. ℥ij rectius ℥ß. sacchar. cand. ℥ij. margarit. præpar ℥ß. nucis vomic. ossis de corde cerv. ā. ʒij. camphor. ℥j. theriac. Andromach. ℥iiij. sacchar. alb. in aqua acetositat. citri solut. q. s. f. electuarium, dosis ʒj. ad ʒij.

Aliud. ℞. rad. dictamn. tormentill. Zedoar. ā. ℥ß. Zingiber ʒij. herb. cardui bened. ʒß. turpeth. alb. gummos. nucis vomic. ā. ℥ß. rhabarb. ossis de cord. cerv. ocul. cancr. ā. ʒj. camphor. ℥j. sacchar. cand. ℥j. theriac. Andromach. ℥vj. misce f. electuarium dosis ut superioris.

℞. croc. orient. ʒj. rad. Zedoar. tormentill. nucis vomic. ā. ʒij. camphor. ℈j. sem. eruc. rad. dictamn. alb. angelic. ā. ʒij. petasit. ʒiij. theriac. Venet. veter. ℥vj. mitridat. ℥vj. f. electuarium. Alexipharmacum est Kegleriano nihil aut parùm cedens. Joh. Schrœder. Pharmac. libr. 2. cap. 51. §. 10.

Frider. Hoffmannus thesaur. pharmac. sect. 6. §. 15. p. m. 45. in peste pro tribus vicibus præscribit sequentem potionem. ℞. electuar. de ovo, theriac. Andromach. ā. ʒij. aq. scordii, gentian. galang. ā. ℥ij. in mortario supra ignem dissolutis, deinde colatis ammisce

sce syrup. acetosit. citr. scord. a. ℥vj mixtur. simplic ʒj misce. Idem Hoffmannus loc. cit. 8. §. 12 electuarium bezoarticum describit, quod etiam ex nuce vomica concinnatur.

Confer etiam D. Reichardum Morton. de febrib. p. 548. 349.

Istiusmodi electuaria nucem vomicam, & quidem in magna dosi recipientia in peste ultima Viennensi usurpata fuisse author est Paulus de Sorbait. consil. medic. de Pest. quæst. 23. p. 30. Sed notat eos, qui hisce usi sunt, inde temulentos redditos, & vomitum iis concitatum fuisse, quod sine dubio ab immoderatò remedii usu accidit.

Ad præservationem â peste fuisse sumptum hunc pulverem. ℞. sacchar. cand. ℥iß. nucis vomic. seu myristic. ℥ß ʒij. cubebar. ℥ß. salv. scord. rut. rad. scorzoner. anis. granor. juniper. herb. carduib. cerefol. coriandr. fœnicul. a. ℥j. misce f. pulvis, cujus manè tantùm sumatur, quantum bis cuspide cultelli sumi potest.

Cur verò in hoc pulvere nuci vomicæ, nux myristica substituatur nullam video rationem. Nam nux myristica non tantas virtutes miasmati pestifero resistendi obtinet, quantas nux vomica.

Nonnulli ad præservationem â peste nucem vomicam linguæ subdunt notante Frider. Hoffmanno Clav. Schrœder. loc. cit. quod

quod aliis fabulosum esse videtur, verùm sine ratione. Fit enim contagium, quando ex infecto corpore miasma putredinale, viscidum & lentum exhalat; quod ob suum lentorem & visciditatem alteri corpori facilè adhæret, & similem fermentationem putredinalem in eo suscitat; in nuce vomicâ verò est acerrimum alkali, quod non secus ac arsenicùm, mercurius sublimatus, cantharides immò ipso ignis illud miasma lentum incidit, attenuat, consumit, & quasi devorat, & ita contagium arcet, & â peste præservat.

Quod non ignotum fuit Zacuto Lusitano. Nam libr. de Medic. Princip. 2. ad histor. 28. quæst. 27. ita differit: Calida venena contagium non inducunt; quoniam in sicco sunt constituta, & seminarium ab iis elevatum ad adurendum magis, quàm ad putrefaciendum est accommodum. Qui locus iterum acerrimè pugnat contra eos, qui pestem ab exhalationibus venenatis arsenicalibus & mercurialibus ex cryptis terræ provenietibus & aerem inficientibus oriri statuunt. Nam si venena caustica non sunt accommoda ad putrefaciendum, neque erunt accommoda ad pestem generandam, quæ â putredine est, & per contagium propagatur.

Qui acidum fermentationis putredinalis authorem esse in peste & morbis contagiosis statuunt, dicere possent, acidum in peste peccans

cans ab suo inimico sale alkalino, quo nux vomica prædita est, debellari, at nos acidum, pestis causam agnoscere non possumus, qui non ignoramus acida in peste & febribus malignis exhibita efficacissima esse remedia, atq; fermentationi putredinali potentissimè resistere, non verò eam excitare. Nam quicquid habet particulas acutas, penetrantes, atque miasma pestis & morborum malignorum lentum, viscidum, contagiosum dissecare aptas, illud horum morborum curationi inservit, at talia sunt acida non minùs ac multa alkalia. Ergo tàm acidum quàm alkali acre est pestis remedium. Confer quæ de spiritu vitrioli capite de Arsenic. ex Menderero produxi. Verùm de hac re prolixius egi tractat. de Paradox. 8.

Extractum nucis vomicæ ingreditur pilulas pestilentiales de Euphorbio Jos. Quercetan. libr. 1. cap. 14. p. m. 122. 1. descriptas.

Idem Quercetanus loc. cit. cap. 22. p. m. 168. 2. aliud electuarium de ovo pro gregariis commune substituit, quod etiam nucem vomicam admittit, quodq; ad præservationem & curationem pestis pretiosum antidotum esse, sudorem movere, omne venenum ab interioribus & profundis partibus ad externas propellere, cor roborare, illudque ab omni veneno vendicare atque tueri asserit.

Nucem vomicam contra morsum canis rabidi

rabidi, & inde pronascentem hydrophobiam specificum esse, author est Theod. Mayerne tract. 2. cap. 12 de morſ. canis rabid. Ibidem etiam electuarium de ovo cum diaphoretico Joviali commendat.

Ex relatione D. Christophori Mayeri Pharmacopœi nostri habeo, quendam nobilem Luneburgẽsem nomine Haxhausen contra luem veneream ex præscripto Medici decoctum quoddam, in quo nucis vomicæ ℥iß. decoquendum erat, usurpasse. Quod conferre in dictis morbis eo magis credendum est, quia etiam in morsu canis rabidi, & lue vereá peccat fermentum putredinale, corruptivum, quod amarities mumialis quæ nuci vomicæ inest, expugnare valet. Non minus acredo nucis vomicæ humores crassos, pituitosos, qui in lue venereâ nunquam desunt, incidit, & attenuat & quæcunque colocynthidem ejusque usum in lue venereâ, eadem etiam nucem vomicam commendant.

Virtutem nucis vomicæ antifebrilem ex quibusdam authoribus jam notavimus, quam etiam contra quartanam â nonnullis Medicis & Chirurgis unâ cum radice gentianæ dari observatio 96. decur. 2. anni 2. Ephimer. Nat. curios. tradit.

Theodorus Mayerne tractat. de febrib. cap. 4. in febre tertianâ ad alliciendum sudorem sal. absinth. ʒß. electuar. de ovo ʒj. aq. card.

card. bened. ℥iiij. horâ ante paroxismum sumendum præscribit. Rationem effectus reddere non est difficile. Nam acris & caustica remedii amarities spondet etiam ab ea cruditatem humorum in febribus intermittentibus dominantem correctum iri.

In Anonymi cujusdam scriptis nux vomica in pulvere seu rasurâ ad fœtum mortuum ejiciendum commendatur. Quanquam nucem vomicam non solùm fœtum mortuum ejicere, sed etiam eum adhuc vivum interimere valdè probabile sit. Nam amara remedia at fortia, qualia sunt cucumeris agrestis, seu elaterium, colocynthis, myrrha, & alia fœtui nocere Galen. l. 8. conceptis verbis affirmavit. Talis etiam est nux vomica, quam aliquando puellæ â stupratore suo oblâtam scio, puella tamen remedium sumere recusante, & rem ad Magistratum deferente, qui Collegium nostrum de hac re sententiam ferre jussit. v. Joh. Baptistæ Sylvatici controvers. 85. p. m. 381.

Vomitivum Nicolai ex nuce vomicâ constat, & in Antidot. Joh. Jacob Weckeri libr. 2. sect. 21. p. m. 814. annotatum extat.

Tabellarum cephalicarum inter alia etiam ex nuce vomica constantium supra ex D. Wepffero mentionem fecimus.

Quidam Anonymus Medicus p. m. 823. asserit rasuram nucis vomic. ʒj. pro tribus vicibus exhibitam insaniam dispellere.

Ex

Ex Quercetano Weckerus sequentem potionem vulnerariam describit ℞. macis, oculor. cancr. Zedoar. ana. ʒiij. mumiæ, galang. minor. ā. ʒ ij. nucis vomic. ʒiß. Crassè contusis in vitro affunde vini albi mens. iß. macerētur lentissimo calore per biduum. Hujus potionis vulnerariæ tanta vis, ut ejus cochleare ùnum pro unâ vice sumptum vix laudari queat.

Decoctum vulnerarium, quo se ad ulcus ab aliis incurabile in brachio pistoris cujusdam existens, serumq; flavum fundens manifestissimo cum emolumento usum, quoque ulcus intra sex septimanas ad consolidationem perduxisse testatur Joh. Agricola ex sequentibus constat. Rec. lign. sassafr. ℥ß. rad. sarsæparil. ℥j. rad. Zedoar. galang. ā ʒiij. ocul. cancr. contus. ʒij. mumiæ transmar. ʒj. nucis vomic. ℈j. incisa infunde in vini generosi libr. 3. stent. in digestione per 4. dies, deinde coque ad tertiæ partis consumptionem. Colaturæ adde spirit. nitr. ʒj. Bibantur inde quotidie tres boni haustus. vid. tractat. ejus cum annot. D. Jenckins de Mercur. viv. p. 154.

Hîc nota nucem vomicam in decocto vel infuso usurpatam minus noxiam & venenatam deprehendi, quàm in substantia exhibitam, quod etiam de elleboro albo, colocynthide verum est.

Similis

Similis potio vulneraria etiam in Adriani Minsichthi armament. Medic. Chym. sect. 21. p. m. 336. 337. describitur. ℞. rad. galang. min. Zedoar. oculor. cancr. mac. ā. ℥ß. mumiæ transmarin. ʒij. nucis vomic. gr. xv. crassiuscule contusa infunde in vini generosi libr. 1. stent in loco tepido. Cujus mixturæ cochlear unum manè & vesperi adeò efficaciter operatur, ut si quid infixum in profundo corporis hæreat, illud propellat, sed in vulneribus capitis nox vomica omittatur.

Deinde notandum istiusmodi potiones vulnerarias non in principio vulnerationis, exhibendas esse, ne iis exhibitis vulnus in febrem exardescat, sed solùm in fine, & ut vulnus iis ad consolidationem perducatur. Ceterùm hanc vim vulnerariam â virtute nucis vomicæ mumiali, quæ ad vulnerum curationem requiritur, dependere, etiam alii morbi contagiosi, & â miasmate putredinali pronati, in quorum curatione hæc nux non minus egregiam operam navat, credendum est.

Externè Indi, teste Hermanno, nucem vomicam cum aceto tritam parti capitis dolenti imponunt ad ejus dolorem sedandum. Nam licet nux vomica propriè non sit inter venena narcotica referenda, ei tamen â Frid. Hoffmanno (uti Clav. Schrœder. Pharmac, p. m. 515. affirmat. virtus narcotica attribuitur. Ibi etiam hanc nucem, ut & cocculos pediculos

 necare

necare & pisces infatuare dicitur, unde etiam in phthiriasi usurpari potest.

Vel. ℞. herb. verben. beton. ℥j. rad. hellebor. nigr. rasur. nuc. vomic. ā. ʒij. aristol. rot. ver. ʒiij. m. f. pulvis, cum vino vel fermento acri paretur cataplasma intra duo linteamenta calidè capiti pro dolore ejus applicandum.

Homines ab ejus usu temulentos fuisse, redditos modò ex Sorbaitio attulimus, quod arguit vim narcoticam & inebriativam huic veneno non deesse, atque etiam in aliis morbis, in quibus opiata & narcotica solent, usurpari posse. Gaudet etiam acredine summa amaricante humorum crassorum incisiva, attenuativa, & fermenti putredinalis destructiva, quales humores crassos, putridos in lepra, melancholiâ, lue venereâ, tumoribus & scirrhis lienis, obstructionibus, scabie, ulceribus malignis &c. peccare certum est. Quapropter utilis & curiosus labor erit, qui in inquirendis ulterioribus nucis vomicæ qualitatibus, & quid ea etiam in aliis morbis possit, impenditur.

Hisce omnibus demonstratum fuit, nucis vomicæ venenosam qualitatem non impedire, quo minùs ea strenui remedii officio fungatur, eamque solummodò in magna quantitate exhibitam esse venenum. Tunc enim acribus suis & nervoso generi inimicis parti-

culis

culis tunicam ventriculi nervosam vellicabit, irritabit, atque per consensum totum nervosum genus in motus anomalicos concitabit & mortem inferet. Sunt enim nervi nihil aliud quàm solida ipsius cerebri & membranarum ejus substantia. atque ab eo non secus ac funiculi dependentes, non autem (ut falsò hactenus fuisse creditum tractatu nostro de Paradoxis docuimus) spirituum peculiarium canales. Unde facile fieri potest, ut uno nervo vehementer attracto, irritato (levis attractio non sufficeret) etiam tota machina & systema attrahatur, & irritetur. Si verò nux vomica in parvâ quantitate exhibeatur, tunc ei adimitur potentia & licentia in nervosum genus peccandi, atq; ejus particulæ, acres, alkalicæ aliâs corpus nostrum offensuræ, causam morbificam aggredientur, & in eâ debellandâ vires suas consument.

Demonstratur porro exemplo nucis vomicæ venena etiam cruda & incorrecta facultatibus salutaribus nihilominus prædita esse, venenatam & medicam qualitatem ab unâ causâ procedere, quâ per inutilem correctionem infractâ, necessario etiam medica infringitur, & ad causam morbi tollendam infirmior redditur.

Refutatur etiam simul opinio eorum, qui nucem vomicam soli homini alexiteriam, eique nullam inferre noxam, canibus verò, fe-

libus, lupis & avibus venenosam esse statuunt, qualia etiam inter alios opinatus est. Joh. Michael in Notis in Schrœderum cap. 51. & rectè monuit Casparus Hoffmannus loc. cit. talibus experimentatoribus non esse fidem habendam, quia sine dubio nux vomica in larga dosi data etiam homini est venenum, quod inter alia etiam observatio D. D. Mattæi Seutteri in suâ disputat. inaugur. Leidæ habitâ adducta docet, qua se vidisse refert fœminam Belgicam ab exhibitâ nuce vomicâ, & radice gentianæ pro scopo antifebrili periculosis horrendisque convulsionibus correptam, cum subsequente rigore & stupore ferè omnium partium, quæ tamen alexipharmacis debitis & in tempore exhibitis iterum fuit refocillata & restituta, & nisi alexipharmaca maturius propinata, aut si nuces vomicæ in largiore dosi exhibitæ fuissent, æternum sic loquendo forsan somnum obdormivisset.

Sed forsitan non solùm liberalior nucis vomicæ dosis, verùm etiam nimis delicata hujus mulieris corporis constitutio eam in hoc malum præcipitavit. Nam hæc altera est cautela, quæ in exhibenda nuce vomica observari debet, & si quis subtile & εὐαίσθητον, ut cum Cratone loquar, genus nervosum habet, ei nux vomica paulò largius data periculosa est, quales sunt infantes, pueri & fœminæ delicatæ & molles carnes, ut Hippocrates loquitur, haben-

habentes. Securius remedium nux vomica erit adultis viris, & robusto corpore præditis, & nondum aliis morbis extenuatis, item iis, qui humoribus viscidis & pituitosis abundant, quæ methodus in exhibitione omnium fortium remediorum observanda est.

NUcis vomicæ ut veneni peccantis remedia sunt, quæcunque venenum eliminant, simulque ejus acredinem nervosi generis irritatricem obtundunt. In quem finem Joh. Jacob Wepfferus tract. de Cicut. aquat. cap. 13. scholio 4. lac, vel aquam tepidam cum oleo infundere jubet, creditque, si canibus quibus nux vomica ingesta fuit antequam eorum vires prostratæ fuissent, ita vomitus prolectus, & eliminatum venenum fuisset, eos potuisse servari. Ita enim clarius constitisset, convulsionum authorem in ventriculo latere, quod experimentum aliis, qui dubitant, faciendum relinquit, non ignarus horum vegetabilium vim etiam ab aquâ valdè obtundi.

Reliqua istiusmodi remedia in prioribus capitibus annotavimus.



Caput XXIII.

De Croco.

COlophonis loco tandem de Croco nonnulla proferemus, non tàm ut ejus usum in Medicina multis probemus, quod non est necessarium, cum nullus Medicorum sit, qui eum in dubium vocet, quàm ut exemplo croci reliquorum venenosorum usus novo argumento stabiliatur, cum & ille venenosus sit, & tamen præstantissimas virtutes medicas obtineat, Nam si |venenositas |croci ejus fidei nihil derogat, quo minus in diæta & medicina utilissimus esse ob omnibus credatur, ea neque in aliis rebus suspecta esse debet.

Audiamus primùm Avicennam de croci noxiis qualitatibus cap. de croc. (ut eum Zacutus Lusitanus Prax. admirabil. lib. 3. observ. 144. citat.) Multitudo comestionis croci inquit, superfluæ dilatat spiritum, & movet ad extra donec accidat, ut propter hoc discedat â nutrimentali materia, & sequatur inde mors: Et libr. 2. tract. 2. cap. 129. ait quod tres aurei de ipso interficiant lætificando. Et ipse Zacutus Lusitanus loc. cit. â croci nimio usu pallorem, capitis dolorem, caliginem oculorum, & demum insaniam maximè lætabundam oriri asserit.

Nimia croci quantitas lethalis esse censetur.

ſetur. Joh. Schrœder. Pharmac. libr. 4. Claſſ. 1. §. 110.

Exemplum mulieris, cui nimia croci quantitas condimenti loco exhibita mortem attulit, refert Zacutus Luſitanus loc. cit.

Obtinet autem crocus qualitatem narcoticam inebriativam opio, & ſpiritui vini ſimilem, quod odor ejus gravis, quem de ſe ſpirat, ſatis oſtendit, & qui nimium inſpiratus ſolo odore hominem interficere poteſt.

Hujus rei exemplum ex Amat. Luſitan. adducit Joh. Schenckius libr. 7. obſerv. 147. de florib. & plantis venenat. in Agaſone quodam ſupra croci duabus ſarcinis ſedentis & inde dormientis & mortui, qui author etiam ideo crocum inter plantas venenatas refert.

Aliam hiſtoriam cujusdam famuli Mercatoris, qui juxta magnam croci quantitatem decubuit, dormivit, & ab ejus vaporibus ſuffocatus fuit, recenſet Petrus Borellus centur. 4. obſerv. 35.

Quosdam ex nimio odore & uſu croci in temulentiam incidiſſe, quotidiana experientia teſtatur. Frider. Hoffmann. libr. 4. ſect. 1. §. 123. Pharmac. Schrœder.

Crocum equis maxime exitialem eſſe â Veterinatoribus accepi; qui referunt modicam quantitatem croci etiam validiſſimo equo exhibitam ei lethale urinæ profluvium cauſari. Daſs Pferdt muſs ſich zu todt ſtallen.

Immo crocum etiam externè equis nocere, & eis ejus copiâ merentibus, vel eum supra tergum gerentibus mictum sanguinis inducere, recenset observatio 88. cent. 2. Petr. Borelli.

Verùm hæc damna & noxæ, quæ â croci abusu proveniunt, recompensantur summa utilitate, quam in diæta & medicina moderatus hujus floris usus affert, quorum utrumq; refert Galenus libr. 2. de composit. remed. secundum locos. "Crocus suo odore caput ferit "& mentem tentat modo Peucedani & Lentisci fructuum. Lætitiam affert & ob id ad"ditur utiliter medicamentis ad cor facientibus. Si Galenus dixisset crocum hoc præstare modo vini, spiritus vini adhuc melius naturam croci descripsisset. Nam ut vini, spiritus vini moderata quantitas epota cor confortat, lætitiam, animositatem affert, nimia verò ebrietatem, capitis dolorem, vertiginem, deliria, somnum causatur, ita etiam croci. Similia referuntur etiam de opio, quod ipsum homines animosos reddere scribunt.

Tantæ autem & tàm insignes sunt croci virtutes ut â quibusdam Philosophorum aroma, ab aliis Rex vegetabilis, Panacæa vegetabilis, appelletur. Cephalicus est, quare ad melancholiam, vertiginem, phrenitidem, catarrhos nobilis est energiæ ac virtutis. Hystericus est, stomachicus &c. & si quod anodynum, certe crocus est. Hinc ejus usus frequens

frequens in ſyncope, hyſtericis affectibus, ſtomachi debilitate, ictero, peſte, aſtmate cum moſchi grano uno vel altero. Menſes obſtructos reſerat, fœtum pellit, ſomnum conciliat. Verum præ aliis qualitatibus ſe virtus alexipharmaca exerit, cardiaca. Unde â Kinelm Digby in examine antidoti Walteri Rawleigts parva panacæa contra morbos contagioſos & venenatos ſ[illegible]tatur, & vix eſt nobile antidotum, quod non in ſe recipiat crocum. In electuario de ovo Maximiliani ſanè triumviratum cum camphora & nuce vomica gerit crocus. Nobiliſſimum eſt electuarium de Croco, & remedium in peſte, morbis contagioſis etiam præſtantiſſimis æquiparandum, quod juxta deſcriptionem â Joh. Schrœder. pharmac. med. chym. libr. 1. cap. 51. 10. ita concinnatur. ℞. croc. oriental. ℥j. rad. Zedoar. tormentill. nuc. vomic. ā. ʒij. camphor. ℈j. ſem. eruc. rad. diptamn. alb. rad. angelic. ā. ʒij. rad. petaſitid. ʒiij. theriac. veter. Venet. ℥vj. mitridat. ℥vj. miſce f. electuarium.

Qui ſimplicius remedium deſiderat, poteſt illud parare in hunc modum ℞. camphor. gr. iiij. croc. gr. v. nucis vomic. ras. gr. iij. m. f. pulvis, vel cum theriaca pilulæ pro una vice in ſequente potione ſumendæ ℞. aq. fumar. carduib. a. ℥j. vini ſublim. cochleari ij. ſyrup. acetoſit. citr ʒß. m. f. potio, quæ valentiſſima eſt in morbis malignis, febribus Ungaricis,

& ipsâ peste. Potio hæc sæpius est repetenda, & inde sudandum, ægro stragulis coperto. Similem pulverem præscribit in febribus malignis Clar. Joh. Dolæus Encyclop. med. chym. cap. de peste & febrib. malign.

Mihi tanquam summum arcanum, & quo integri pagi ægrotantium, & febribus malignis & contagiosis decumbentium fuerunt restituti, fuit recommendatum sequens ℞. aq. rosar. cum albumine ovi recent. agitat. cochlear. ij. croc. pug. 1. probe mixtis adde spirit. vini cochlear ij. camphor. pulveris. magnitudine avellanæ nucis minoris. m. d. manè & vesperi. Loco spiritus vini potest tinctura aliqua bezoartica substitui, quæ verò non nimis avara manu, & ad guttas tantùm, quam negligentiam etiam alii observarunt, sed ad drachmas & cochleatim est præbenda. vel ℞. albumin. ovi nō. j. spirit. vini cochlear. iij. croc. oriental. ℈j. camphor. gr. ij. m. d. Gregor. Horstius libr. 1. de febrib. observat. 29. p. m. 55. 2.

Camphora & crocus in spiritu vini dissoluta sine detrimento etiam in malignissimis febribus dari possunt, ut rectè sentit Heinric. Screta libr. 3. cap. 4. p. m. 256. quia una cum spiritu cornu cervi, salis armoniaci, & eorum salibus volatilibus inflammationes magnopere tollunt.

Theod. Zwingerus p. m. 330. spiritum vini

vini cum croco & camphora tanquam summum alexipharmacum laudat. Quæ si inflammationes externas tollunt, cur non etiam internas. vel

℞. albumin. ovi i. vel ij. vehementer & in spumam agitatorum, croci minutissime pulverisс. ʒß. vel ʒj. (quæ verò dosis mihi nimia videtur) spirit. vini ℥ij. vel hoc potentius succ. express. sedi major. flor. salis armoniac. ℈j. camphoræ non nihil. Detur in aquæ sextario, etiam in potu utilissime sumitur. Joh. Schenckius observat. medic. 119. libr. 6. Valet in febre ungarica petechiali.

Crocum autem antidotis & alexipharmacis remediis addendum esse, & summa cum utilitate in febribus malignis exhiberi, non una ratio probat. Nam primò in febribus malignis & peste timore & terrore nihil nocentius est, è contrario, quæ timorem & terrorem dispellunt, in iis summoperè conducunt. Unde Helmontius & Willisius ambo viri celeberrimi ad præservationem â peste valdè commendant ea, quæ hilaritatem & animositatem homini conciliant, atque, uti illi loquuntur, Archæum confortant. vide Helmont. de Tumul. Pestis. In quem finem non solùm ille, sed etiam alii expertissimi Medici vini generosi & spiritus vini usum, grassante peste suadent, atque theriacam in vino vel spiritu vini sine metu caloris exhibendam

præ-

præscribunt. Et Joh. Zwelffer. in animadverſ. in pharmac. Auguſtan. theriacam potiſſimum virtute opii ſuam virtutem exſerere credit, quia illud præter vim narcoticam etiam virtute quaſi dementatrice pollet, quâ ipsâ impræſignatæ theriacæ ægrotantibus, atque etiam ſalubriter adhuc degentibus, qui præſervandi cauſa illâ utuntur, ac firmam fiduciam in illa collocant, veluti animoſitatem quandam tempore infectionis ſummè neceſſariam addit, ſicque nonnullos quandoque immanes conſervat. Quod emolumentum quanto magis â croco expectandũ eſt? Nam ille non ſolùm ut opium, dementandi & inebriandi virtute gaudet, ſed magis quàm opium naturæ noſtræ familiaris eſt, cum ejus ſpiritibus conſortio ejus gaudentibus affinitatem habet, hilaritatem animo conciliat, triſtitiam abigit, & ideò etiam nonnullis melancholicis affectibus medetur. Secundò crocus ſummam obtinet penetrandi virtutem, atque particulas habet volatiles, ſubtiles, quod ex fragrante ejus odore ſatis colligi poteſt, atque ideo una cum aliis volatilibus virtute præpollet iis, quæ fixiora ſunt. Nam qui febrium malignarum & peſtis naturam accuratius rimati ſunt, agnoverunt, volatilibus & ſpirituoſis remediis, ut camphoratis, ſalibus volatilibus urinoſis eorumque ſpiritibus, tincturis, & aquis bezoarticis deſtillatis miaſma malignum in

in peste &c. multò felicius dispelli, atque ad exteriora eliminari, quàm fixioribus, hîc utplurimum debilioribus, qualia sunt terra sigillata, bolus armena, lapides pretiosi, lapis bezoar, c. cervi ustum, philosophicè calcinatum, unicornu fossile, quibus nonnulli accensent lapillos cancri, antimonium diaphoreticum, bezoarticum minerale.

Tertiò venenositas croci usum in peste, & aliis morbis commendat, ita enim docere instituimus, ut quod alios ab usu remediorum absterreat, nos ad usum eorum incitet. Nam venenositas rei nihil aliud denotat, quàm summam ejus activitatem & agilitatem, quæ verò in usu ejus tam utilis, quàm in abusu noxia est.

Joh. Fortis contra palpitationem cordis in usu habuit aquam melissæ, borraginis, in quibus crocus fuit maceratus, quod frequenter manè sumatur. Nam cor delectatur croco ejusque odore. Crocus, inquit Hier. Carda-" nus, pulmoni plurimum confert, & ego sana-" vi deploratos ab aliis solo ejus usu ab orthopnoia. v. Joh. Schenk centur. 7. observ. 66.

In cardialgia seu dolore ventriculi specificum remedium est crocus propter suam virtutem cordialem & anodynam.

Crocomagmatis Damocratis compositionem ex Galeno describunt D. D. Augustani.

Non

Non minùs in dysenteria imprimis maligna cohibenda est insignis croci utilitas, atque præsente humorum vitiosorum orgasmo non dari præsentius remedium, quàm essentiam seu extractum croci testatur Frider. Hoffmannus. loc. cit. Et Jacobus Bontius de Medicina Indorum perhibet hoc remedio nullam humanam rationem ad dysenteriam in India vehementius quàm in aliis regionibus gliscentem excogitare potuisse exquisitius, & verissimum esse hujus morbi sæpè etiam venenati antidotum.

Hunc autem effectum croci virtuti narcoticæ attribuendum esse nobiscum nemo negabit, qui considerat in dysenteria peccare orgasmum humorum, in quo compescendo remedia anodyna multum possunt, ceu quoque in hoc casu opiata imprimis ab initio data excellentissima remedia sunt. Unde summa cum ratione in laudanis opiatis crocus combinatur opio, & vix est laudanum opiatum, cujus basis non est opium & crocus, seu eorum extracta, quibus deinde magisterium perlarum, seu pulvis eorum, ut & coralliorum, lapis bezoar, & alii nonnulli pretiosi lapides, quandoque cum aliquot guttis olei destillati cinamomi, garyophyllorum adjunguntur. Ita præparatur laudanum Quercetani, Crollii, Angeli Salæ, Sennerti, Schrœderi, Wedelii, qui in tractat. de Opiolog. etiam ex tempore in

in remediorum formulis crocum opio adjungi præcipit. Ex tempore potest parari tale ℞. opii cum spirit. vini, vel aqua extract. & inspissat. gr. ij. vel iij. extract. croc. gr. v. magister. perlar. lapid. bezoar. ã. gr. ij. ol. destill. caryophyll. aromat. gt. 1. m.

Aquam dysentericam Jos. Quercetani non sine judicio crocum admittere judicat Frider. Hoffmannus loc. cit.

Aquas hypnoticas & narcoticas crocum quandoque in sat largâ quantitate recipientes describit Adrianus Minsichth. Armament. Medic. Chymic. sect. 20.

Aliam ad arcendas vigilias aptissimam per destillationem parari docet Frider. Hoffmann. loc. cit. Ejus dosis ℥iij-℥iiij.

In tussi imprimis infantum & puerorum polycrestum est sequens ℞. spermat. ceti recent. ℈ß. croc. orient. gr. 1. Si sit infans unius anni; si duorum aut trium ℞. spermat. Ceti recent. ℈j. croc. orient. gr. ij. Adultiori & puero potest spermat. Ceti recent. ʒß. cum tribus granis croci exhiberi, detur in jusculo calido. Tussim sedat, resolvit, digerit, quandoque sudorem movisse scio.

Ingreditur etiam crocus decantatissimum & polycrestum elixir proprietatis Paracelsi. elixir uterinum Crollii, elixir sulphuris Minsichthi, elixir pectorale D. Michaelis.

Ex croco varia parantur medicamenta, ut

ut aqua, ſpiritus, eſſentia, extractum, de quo hoc tantùm monendum eſt, minùs congruè illud, ut fecit Joſ. Quercetanus, cum acetoſo liquore parari. Nam ut rectè monet D. Ludovici Pharmac. Modern. tenerrimus floſculus duram tractationem non ſuffert, melior eſt præparatio, quæ cum aqua vel ſpiritu vini perficitur, ita enim croci virtus anodyna conſervatur, quæ ab acidis pervertitur.

Michael Ettmüllerus Schrœder. dilucid. tincturam croci cum ſpiritu vini minus rectè parari putat, quia ſpiritus vini ipſe eſt narcoticus & inebriativus, uti etiam eſt crocus, quæ verò ratio nullius eſt momenti. Nam uti dixi, vis narcotica non ſolùm in opio, hyoſciamo, mandragora, &c. ſed etiam in croco non eſt aufferenda, vel per contraria pervertenda, ſed per ſimilia & homogenea conſervanda.

Similiter contra vigilias, dyſenteriam crocus per clyſteres ad ℈j. poteſt infundi.

Ex croco cum pane vino madefacto, in vaſe clauſo per aliquot dies in fimum equinum poſito, & tandem deſtillato, Aroph Paracelſi, quod Helmontius ad lithiaſin tractat. de lithiaſi cap. 7. §. 14. deprædicat, & propter auream tincturam Aroph ſeu aroma Philoſophorum nominat, parari voluit Fridericus Hoffmannus Pharmac.

Externè crocus ſedat dolores, tumores reſol-

resolvit, emollit, discutit, idque non humectando, sed resolvendo, attenuando, discutiendo, uti etiam alia remedia narcotica solent.

Communiter mulierculæ infantibus pro corrigendis vigiliis solent supponere sacculum, in quo crocus fuit asservatus, observante D. Georg Wolffgang Wedelio tract. de opiolog. libr. 1. sect. 1. cap. 12. quod vero alii periculosum esse judicant. Sed monendum est, si infans dormire incipit, sacculum subtrahendum esse, quod etiam supra de hyosciamo monui.

Ex nucis mosch. oleo express. unguento populeonis, croco & opio parantur balsama hypnotica, quæ temporibus inungi solent.

In epithematibus creber usus est croci. ut in capitis dolore ℞. aq. beton verben sambuc. ā. ℥j. pulveris. Zedoar. ʒß. puleg. ℈j croc. gr. vij. camphor. gr. iij m. f. epithema tepide applicandum.

Epithema ex spiritu vini, camphorâ & croco confectum resistit gangrænæ partium, & est remedium multis familiare.

Pro vigiliis ℞ aq. nymph. solan. ā. ℥j. aq. rosar. ℥ij. croc. austriac. ʒß. opii gr. iij. misce f. epithema. Somnum reducit, dolores sedat.

Similia epithemata ex croco, camphorâ, aquis, tincturis, & spiritibus bezoarticis cum panno scarlatino in febribus malignis, peste, possunt fronti, carpis, temporibus, regioni cordis applicari.

Ad oculos in collyriis ℞. albumin. ovor. q. s. conquassatis cum aq. rosarum aut lacte materno adde croci parum, & impone oculis dolentibus.

Crocus gestatus supra cor quandam mulierem â mœrore & perpetuo flendi desiderio curavit, referente Petro Borello centur. 2. observ. 99.

A croco in sacculo supra ventriculum gestato stomachi dolorem & molestiam navigantibus familiarem curatam notat Franciscus Baconus de Verulamio in histor. vitæ & necis. Eundem ita applicatum tanquam egregium stomachicum laudat Michael Ettmüllerus Schrœder. dilucid. phytolog.

In cataplasmatibus ad dolores sedandos, tumores resolvendos itidem frequentissimus usus est croci. Exempla remediorum passim in libris Medicorum annotata extant.

Non minùs in emplastris anodynis, resolventibus, discutientibus crocus suum officium præstat, quod emplastrum oxycroceum officinarum, emplastrum de gàlbano crocatum Minsichthi, armament. Medic. sect. 37. descriptum, testantur ut ℞. gumm. galban. in acet. dissolut. ℥vj. emplastr. de melil. diach. simpl. a. ℥iij. ceræ citr. ℥ij. tereb. alb ℥j. croc. orient. ʒ vj. m. f. emplastrum, quod expertissimum usuque celeberrimum in emolliendis, resolvendis tumoribus duris, scirrhosis, sedandis

dandis & mitigandis doloribus vehementibus & lethalibus partium, ut pectoris, scapularum, mammarum, hypochondriorum, laterum, ventriculi, lienis, hepatis, renum, uteri à crudis humoribus, flatu crasso, aut aliâ intemperie calidâ ortis. Insuper omnes strumas tam recentes quàm inveteratas emollit, lenit, concoquit, digerit, incidit, dissolvit. Convenit etiam in singultu, convulsione.

Linteum crocatum in Minsichthi armam. sect. 38. descriptum est tale.


℞. crudum ex cannabe linteum, ablue quinquies vel sexies in spermate ranarum in Martio collecto & filtrato, ut grana illa sive oculi nigri inde separentur idemque toties in umbrâ per se, non in calore sive ad solem arescere sine. Postea ℞. acet. fl. sambuc. croc. orient. ā. q. s. fiat tinctura, in quâ illud ex cannabe confectum linteum coquatur, donec sublimem â croco colorem imbibat, tumque unâ refrigescere sine, & pannum illum crocatum exprime, in umbrâ sicca, ad usum serva.

Loco affecto pannus ille impositus, prius tamen sapone veneto inunctus sistit dolores, in cruciatibus arthriticis & erysipelate est remedium planè divinum.

In quibus morbis crocus non conveniat ex supra de opio & hyosciamo dictis sciri potest, & ante omnia in apoplexiâ, soporiferisque affectibus croci usum propter vim suam

narcoticam fugiendum esse censeo, licet is à quibusdam ad tales morbos commendetur. Minus congrue uti alia narcotica, ita etiam crocus contra maniam exhibetur, uti censet Ettmüllerus, rationem de opio attuli.

CRoci ut veneni antidotum est acidum quodcunque, quod etiam contra alia venena narcotica pugnare sæpius jam dictum fuit.



Caput XXIV.

De remediorum venenatorum necessitate.

HActenus experimentis, rationibus & authoritatibus celeberrimorum in arte medicâ Virorum (nisi forte ignobilia sunt nomina Hippocratis, Galeni, Avicennæ, Plateri, Mayerne, Sylvii, Minsichthi, Willisii &c.) virtus medica venenorum, eorumque in morbis curandis insignis utilitas satis superque fuisset demonstrata, si modò homines eruditi nonnulli à sua semel concepta opinione dimoveri possent, quos sæpius mera ambitio in tuenda suâ sententia obstinatos reddit. Quippe credimus existimationi nostræ aliquid decedere, si alienæ sententiæ nos obsequentes reddimus, pudet etiam errores nostros agnoscere,

scere. cum tamen errare humanum, nec pudendum sit, aliquid humani non alienum â se putare. Quantò magis pudendum est odisse veritatem & eos, qui illam sectantur. Superest ut quædam de venenatorum remediorum necessitate proferamus, quam in dubium vocant ii, qui remediis tutioribus & infamiæ minùs obnoxiis idem, quod venenatis efficitur, præstari posse credunt. Nam si, ut illi opinantur, verum est, quod tuta & usitata remedia idem quod venenata in medendo efficiunt, facilè periculosorum & infamiæ obnoxiorum usu carere possumus, neque ulla necessitas nos ad talia remedia in morbis confugere cogit. Unde D. Joh. Jacob Wepfferus tract. de Cicut. aquat. cap. 22. Hæc quomodocunque se habeant non excutio, ego, inquit, cicutæ nunquam fiderem, nec author essem ut intra corpus admitteretur, cum plurima securiora exstent ad satisfaciẽdum quibuslibet scopis in medendo præ cicutâ. Eandem admonitionem repetit loc. cit. scholio 2. ad caput 13. ubi inquit se assentire iis, qui nuce vomicâ in medendo non utendum esse censent, cum certa præ manibus sint &c. Argumentum igitur Wepfferi est, posito cicutam, nucem vomicam, in morbis curandis esse proficua, non tamen necesse est ad ea recurrere. quia remedia certa, tuta & usitata in medendo idem, quod cicuta, nux vomica, præstant. Quæ

verba ad exterminanda ex Medicina etiam alia venenata applicari possent. Verùm si remediorum periculum & noxa ab eorum exhibitione timenda statim eorum usum in medicinâ prohiberent, certe etiam aliorum usitassimorum remediorum usu, quæ non carent periculo, privaremur, qualia sunt venæsectiones & purgationes, quos infinitis periculum & mortem creasse, observationes Medicorum passim testantur. Deinde responderi potest, si venenatorum remediorum virtus & operandi modus accuratius indagetur, eum effectum â remediis tutioribus & usitatis, quem â venenatis habemus, non impetrari, neque Medicum sine insigni materiæ medicæ mutilatione iis carere posse.

Hoc ut probem, propter jam adductas rationes mihi concedendum esse suppono 1. Unumquodq; venenum duobus potissimum modis animali nocere, vel sanguinem & humores corrumpẽdo, inficiendo, quod faciunt propriè venena præternaturalia, morbosa, contagiosa pestis, febrium malignarum, luis venereæ, morsus animalium rabidorũ, lepræ, scabiei malignæ, dysenteriæ &c. qui morbi omnes lentum & viscidum, fermento corruptivo imbutum miasma de se spargunt, quod alteri corpori adhærens similem in eo morbum excitat, atque fermentatione corruptivâ humores in suam naturam convertit, sibique assimi-

assimilat; vel, quod faciunt venena naturalia, partes nervosas & membranosas corporis sensuidicatas, citra ullam notabilem (notabilem dico) sanguini & humoribus illatam noxam, lædendo, & animal interficiendo. 2. Ea venena non occulto modo & ratione, sed manifestâ suam vim deleteriam exserere, atque; uti venena præternaturalia putrido lento & viscido miasmate sanguinem inficiunt, & corrumpunt, ita naturalia partim acutis & pungentibus suis particulis, quibus prædita sunt, partes nervosas & membranosas pungere, lancinare, irritare, inflammare, corrodere, quam verò vim in humores & reliquas sensu carentes partes corporis vix exserere possunt; partim fumosis suis exhalationibus cerebrum & nervos opplere, eosque torpidos reddere. 3. Eandem vim venenorum noxiam nervoso generi infestam utilem & medicam reddi, si vis illa â corpore in causam morbificam convertatur, si â veneni virtute caustica & corrosiva lentum & viscidum sanguinis coagulum, tot morborum nobis causa, incidatur, & resolvatur, vel si vis venenorum narcotica vel potius anodyna partes membranosas & nervosas irritatas, dolentes ita torpidas reddat, ut non amplius injurias sibi â re noxiâ illatas sentiant. 4. Easdem particulas acutas, pungentes, venenorum multò penetrantiores & efficaciores, ut & vim narcoticam

in iis multò majorem, quàm aliis rebus esse, atque ea nocendo ostendere, quantò magis, si ritè usurpentur, prodesse possint. 5. Sæpius humorum lentorem & coagulationem ita contumacem esse, vel irritatorum spirituum ferociam tantam, ut debilioribus cæterùm tutioribus remediis non resolvi, vel eorum virtute anodynâ cicurari queat, atque ideò 6. meritò remedia venenata destinari extremis morbis, eaque esse instar sacræ anchoræ, ad quam nihil conferentibus aliis Medici & ægroti in extremâ necessitate confugere possunt, quod observationes & exempla quotidie in praxi medica occurrentia, & in hoc tractu passim annotata sufficientissimè demonstrant. 7 Venenatorum remediorum noxam per methodicam eorum exhibitionem, & accisam dosin evitari posse, quia venena naturalia (naturalia dico, nam præternaturalium venenorum minima portio in corpore & sanguine relicta illud contaminare & corrumpere valet) ut nocere possint, certâ & determinatâ quantitate opus habent, infra quam constituta corpus non lædere valent, manente nihilominus salva virtute eorum medicatrice; ut ita venena sint, & dici mereantur solùm in majore, quàm debet dosi, & ægrotis intempestivè exhibita, remedia verò præstantissima in parvâ quantitate, convenienti subjecto, justo modo & tempore usurpata, ubi ante omnia

omnia monendum, & instar Canonis sanctè observandum esse duco, ut remedia talia corporibus robustis, non verò debilibus, vel viscerum quadam imbecillitate laborantibus præscribantur.

Ut res exemplis illustretur & probetur, ad examen producemus arsenicum. Illud cerebro & nervis infestissimum esse horrenda symptomata ab ejus usu excitata satis loquuntur, idque præstat particularum suarum acutie, quâ partes stomachi & intestinorum irritat, vellicat, inflammat, corrodit, damnum verò, quod per se sanguini & spiritibus infert, vel nullum est, vel non ita magnum, ut jam supra fuit ostensum. Sed eædem arsenici particulæ acutæ, pungentes, & nervoso generi tantopere noxiæ, utiles & medicatrices evadunt, dum sanguinis coagulum lentum, viscidum, vel simplex tale, ut in obstructionibus. asthmate, tumoribus duris, scirrhosis &c. vel cum malignitate aliquali in febribus intermittentibus, vehementiore in peste, febribus malignis, leprâ, lue venereâ conjunctum incidunt, resolvunt, atque sanguinem ab inquinamento venereo, pestilentiali, febrili repurgant. Ne autem arsenicum noceat præcaveri potest, si in modicâ dosi, & corporibus robustis exhibeatur. Hæc entem virtus in arsenico & sui similibus resolutoria & emolliens major est, quàm in remediis aliis commu-

nibus & tutis, quia particulæ arsenici sunt valdè acutæ & penetrantes, & si alia acria ad pituitam viscidam, lentam resolvendam inserviunt, quantò magis id efficient ea, quæ in summo gradu sunt talia, qualia sunt caustica, corrosiva, inter quæ non infimum locum tenet arsenicum? Quia igitur sæpissimè accidit. ut causa morbi nimis sit contumax, quàm ut vulgaribus remediis evinci possit, ideò etiam evenit, ut sæpius necessitas Medicos juxta & ægrotos ad petendum ab istiusmodi remediis fortibus, quale arsenicum, auxilium cogat, quæ non sine prudente consilio ad morbos desperatos reservari solent. Hoc observari potest in tumoribus duris, scirrhosis, in quibus resolvendis, ut non diffiteor, magnæ sunt vires salium volatilium, martialium, essentiarum & tincturarum antiscorbuticarum, gummatum ammoniaci, galbani in aceto dissolutorum, & aliorum remediorum internè & externè adhibitorum, ea tamen omnia non æquant efficaciam arsenici & mercurialium, & quis ab emplastro, exempli gratia, gummi ammoniaci, galbani, diaphoretici æquè feliciter emollitos vidit tumores duros, quàm ab usu arsenicalium, & mercurialium? Unde si istiusmodi emplastro resolventi addatur arsenicale vel mercuriale aliquod, sine dubio illud multò potentius reddetur.

Par effectus arsenici etiam spectatur in morbis

morbis internis. Admiratione & stupore dignum est, tantulam arsenici crudi dosin contumacissimos febris quartanæ paroxismos protelare, renitentissimas obstructiones reserare. In asthmate sæpius circa cor & pulmones reperiuntur corpora callosa, glutinosa, polyposa, cursum sanguinis circularem remorantia, & intercipientia, ob quam causam Hippocraticus Medicus ut apoplexiam, ita etiam asthma, catarrhum suffocativum, non inepte fieri pronunciaret ab ἀπολήψει τῶν φλεβῶν, interceptione venarum circa cor & pulmones. In his corporibus duris resolvendis nemo sanus nos reprehendere potest, si antea aliis remediis communibus, ut spiritu salis armoniaci simplice, vel anisato, cum gummi ammonico destillato, oxymelide simplice & squillitico, sulphureis, benzoinis, & aliis frustra contra morbum assumptis ex antiquis Medicis Avicennæ Medicorum Principis, vel ex recentioribus Georgii Wirthii Archiatri Regii vestigia premamus, & ad usum arsenici recurramus. Neque noxa ulla ab hoc remedio timenda est, quia eam per moderatam dosin & usum prudentem, justoque tempore, morbo, & convenienti subjecto applicatum, facile declinare licet.

In lue venerea sanguinis serum miasmate corruptivo, putrefactivo imbui, contaminari, coagulari & spissum reddi, omnia hujus morbi

morbi symptomata & phœnomena, ut ulcera partium, ossium caries, capillorum defluvia, fœtores, contagium, individuus fermenti putredinalis comes, nodi, tophi, in ossibus exostoses â pituitâ viscidâ, coagulatâ orti, eâque si dissecentur, turgidi, abundè comprobant. Et Nicolaus Massa epistol. 30. tom. 1. uti ex eo Joh. Schenckius libr. 6. observ. 210. notat, in lue venerea laborantium & demortuorum cadaveribus dissectis se invenisse materiam albam pituitosam in venis sanguinem longè superantem. Similiter Ambros. Paræus Chirurg. libr. 18. cap. 3. p m. 533. venenum luis veneree in pituitâ quadam viscida. crassâ, malignâ consistere, egregiis rationibus evincit. Exinde fit, quod quæcunque remedia pituitam crassam, viscidam sive per alvum, vomitum, sive per salivationem expurgant, incidunt, attenuant, in hoc morbo curando multùm possint. Verùm hanc lympham sæpius ita tenacem, atq; spissiorem & lentiorem esse, (quod imprimis in populis septemtrionalibus lue venereâ laborantibus, minùs verò in Italis, Gallis & Hispanis accidere notant nonnulli Practici) quàm ut debilioribus & vulgaribus ceterùm tutis remediis evinci queat, atque ideo remedia fortia, licet periculosa & venenosa exigere, vel in vulgus notum est. Atque hoc certum est venenum venereum in corporibus serosis & pituitosis, qualia

sun

sunt Germanorum, Batavorum, Anglorum fortius suum caracterem imprimere, quàm Italorum, Gallorum, qui multo spirituoso sanguine abundant, atque eapropter etiam venæsectiones largiores melius, quàm Germani &c. sustinent. Unde quia sæpius vana sunt hujus luis curationis tentamina per decoctum ligni guajaci, sassafras, radicis chinæ, sarsaparillæ, & aliorum, ideò ad fortiora progrediendum est, qualia sunt præ aliis mercurialia, principalissima seri viscidi, & miasmate corruptivo inquinati incisiva, attenuativa & correctiva. Hæc autem sunt Mercurius sublimatus, præcipitatus communis, Solaris, Arcanum corallinum, Hercules Bovii, turpith minerale, Mercurius dulcificatus, inunctiones mercuriales. Nec impedit eorum usum quod sint venenosa & periculosa, omne periculum methodicâ eorum præscriptione amoliente. Quod verò quædam eorum, ut Arcanum corallinum, Mercurius dulcis omni suâ corrosivitate & venenositate per sollicitam præparationem spoliata esse dicantur, ea vanissima est, uti jam fuit suprà dictum, quorundam jactantia, quanquam certos quosdam venenositatis gradus inter ea constitui, & unum præ alio minùs periculosum esse, nemo negare possit. Ita Mercurius dulcificatus in lue venerea est quidem inter remedia mercurialia venenosus & corrosivus, sed

ſed in inferiore gradu, quàm alia mercurialia, & ſi in moderatâ quantitate exhibeatur, vel ſemel, bis, damnum nullum affert, ſin verò in largiore, & ſæpius iterata doſi offeratur, quod ſæpius neceſſarium eſt, nam in morbis magnis & refractariis, qualis eſt lues venerea, quid una, alterave Mercurii dulcis exhibitio ad exterminandum venenum, & morbum curandum poſſet? tunc eum maximum periculum & mortem ægrotis attuliſſe non ſemel mihi obſervare licuit. Neque tamen fortiora & perículoſiora mercurialia in curatione luis ab uſu ſecludenda ſunt, quod inter aliorum Medicorum etiam Zacuti Luſitani de Medic. princip. libr. 1. item Prax. admirabil. libr. 2. obſerv. 133. authoritate probari poteſt, ubi fidiſſimo experimento ſe compertum habere "perhibet, robuſtos & viribus conſtantes un-"guentis Mercurialibus incurabiles, buccellâ "ex Præcipitati granis v. rhodoſaccharo invo-"lutis, & pulveribus cardiacis ſe ſanaſſe.

Lui venereæ morbus quoad cauſam & quædam ſymptomata adeò ſimilis eſt lepra & elephantiaſis, ut noñulli leproſi pro venereis, & vice verſa venerei pro leproſis fuerint curati. His morbis affectis ſanguinem per venam inciſam eductum, in pixide ſervatum, poſtmodum præcipuè circa ſuperiora ita concretum majore ex parte craſſam pituitam undiquaque repræſentantem conſpectum eſſe, ut

vix

vix sexta illius pars sanguinis colore donata in fundo matulæ resideret, ita ut reliquum gluten viscidissimum videretur, vixque cultro scindi & lacerari posset. Nec ullum, cui talis sanguis eductus fuit, â morbo liberatum notavit Marcellus Donatus libr. 1. cap. 4. histor. medic. mirabil.

Istiusmodi spissimum seri coagulum etiam aliquando in febribus malignis observare licet, qualem ipse observavi in sanguine per venæsectionem educto Leonhardi Glaseri Lanionis febre malignâ demortui, quod seri spissamentum ego summæ malignitatis indicium esse judico.

Causam hujus in sero lentoris & aliorum in leprâ & lue vereneâ symptomatum multi ex recentioribus Medicis acido corrosivo, mercuriali, arsenicali, adscribunt, quod quam falsum sit, probat, quod acidum imprimis mercuriale, arsenicale hunc lentorem & spissitudinem seri resolvit, & attenuat, quodque etiam celeberrimi Medici hisce morbis curandis acida mercurialia, arsenicalia remedia opponunt. Et quid contra has hydras morbosas fortius pugnat, quàm Mercurius sale acido armatus? dum suis particulis acutis, pungentibus sese intra seri corpus gummatosum & glutinosum insinuat, ejusque coagulum resolvit.

Unde Theodorus Mayerne tract. Prolego-

legomen. de lue vener. p. m 298. In lepra purgato strenuè cum & sine Mercurio. Mercurium elephantiasis domitorem appellat Guielmus Ballonius. Petrus Forestus libr. 32, observ. 19. schol. pilulas Mercuriales in vetere pudendagra feris gummositatibus, sordidis ulceribus & elephantico ferè habitu nonnullis mirabiliter profuisse expertus est, quos etiam alii sequuntur Medici.

Absurdum igitur est eandem rem & caussam morbi & remedium simul statuere. Et si lepra, lues venerea essent ab acido, multo magis in his morbis læderet, quàm utilis esset mercurius sale acido conjunctus.

Est igitur fermentum putredinale corruptivum, lentum, viscidum, atque contagiosum potius in lepra & lue venerea accusandum, quàm ulla alia res, quod miasma viscidum etiam in sero similem effectum producit, illudque viscosum reddit, vel coagulat. Nam qualis est causa, talis est effectus. Ita similiter absurdum contagium, putredinem & corruptionem in his affectibus imputare acido, cum acidum corruptioni putredinali fortiter resistat, omnis contagii expers sit, idque arceat & impediat magis, quàm promoveat. Nec sufficit dicere, acidum corrodere, corrumpere, ergo in leprâ, lue venereâ corruptiones partium esse ab acido. Nam corrumpere, exedere, corrodere non sunt actiones solius acidi,

sed

ſed etiam fermenti putredinalis extra acidum poſiti. Neque eſt humorum aduſtio cauſa horum morborum, ut quæ effectus potius quàm cauſa eſt, atque â fermentatione putredinali in his morbis humoribus inducitur.

Ceu quoque abſonum eſſet, ſi quis ſtatueret, incaleſcentiam â rebus putreſcentibus excitatam eſſe putredinis cauſam, quia incaleſcentia & aduſtio â putredine oritur, non verò hæc ab illâ.

Quapropter meritò his morbis opponuntur omnia ea, quæ fortiter fermento putredinali reſiſtunt, inter quæ palmam aliis omnibus præripiunt Mercurii corroſivi, cauſtici, quanquam hîc nec alia venenoſa ſuo deſint officio, externè & internè uſurpata, ut arſenicalia, colocynthis, & ex eâ præparata confectio Hamech, helleborus albus & niger, & ex iis compoſita oxymella helleborata.

At quod jam de Arſenico, Mercurialibus diximus illud etiam de aliis venenis cauſticis, purgantibus & opiatis dici poteſt, atque remedia ex iis conſtantia ſæpius â celeberrimis Medicis arcanorum titulo efferuntur, eorumque uſus ſolùm morbis deſperatis curandis reſervatur, quo ipſo nihil aliud volunt, quàm morborum quorundam contumaciam aliis remediis inſuperabilem eorum virtute frangi poſſe. Apud Medicos nihil vulgarius eſt hoc axiomate: Extremis morbis extrema reme-"

media esse opponenda. Quænam autem sunt extrema? certè non vulgaria, & tuta, sed generosa, quæ nunquam carent periculo, & si curationes per tuta & vulgaria semper absolvi possent, quid opus esset â remediis extremis auxilium poscere? Exempli gratia in lue venereâ, leprâ, â Mercurialibus, in apoplexiâ, caro, paralysi, ab euphorbio, colocynthide, in hydrope ab elaterio, in melancholiâ â veratro albo, in hœmophthisi ab hyosciamo. Mercurium corrosivum inter alia remedia Mercurialia quidem periculosiorem, sed etiam efficaciorem judicat de le Boe Sylvius, quod etiam de veratro albo dici, supra retuli. Quo ipso quid aliquid innuitur, quàm periculosa remedia in medendo tutorum virtutem superare, vel in curatione morborum tutis non tantum effici, quantum periculosis, atque ideo usum venenatorum & periculosorum sæpius necessarium esse.

In summis doloribus, aliis remediis nihil efficientibus ad narcotica & laudanum opatum, præparatum quidem, sed nihilominus periculosum, vel si hoc non sufficit, ad crudum opium, & ex eo parata remedia, periculosiora quidem, sed etiam efficaciora confugimus. Nec me ab usu horum remediorum absterret, quod infamiæ sint obnoxia, quod Medicus talibus utens facilè famæ & existimationis suæ jacturam pati possit. Ceu nuper

Medicus

Medicus quidam in ſcripto ſuo propalavit:
"Medicum venenatis remediis utentem viri
"boni nomen non tueri poſſe. Nam ſi ſunt infamia, ſciendum eſt non culpam propriam, ſed vel nimiam quorundam timiditatem, & ſiniſtram de iis opinionem, vel aliorum iis abutentium temeritatem ea diffamaſſe.

Si verò ii, qui remediis venenatis utuntur, viri boni nomen non tueri poſſunt, omnes ii Medici, quorum magnus in noſtro tractatu catalogus extat, erunt infames, & nequam. Et quomodo ab infamiæ notâ ſe liberare potерunt Hippocrates, Galenus, Avicennas, qui in curatione morborum ſæpius cantharidibus, arſenico, cicutâ, opio hyoſciamo, euphorbio, & aliis uſi fuerunt? Quomodo multi noſtræ ætàtis Medici, quibus ad morbos ſanandos Mercurius dulcificatus, præcipitatus ſolaris, corallinus in frequente uſu eſt? Nam licet in his omnis qualitas noxia, venenata. arſenicalis per diligentem præparationem ſublata eſſe jactetur, eam tamen manſiſſe, loquuntur tragica exempla eorum, quibus intempeſtivus, & immoderatus uſus horum remediorum ſumme noxius fuit, quæque ideò non minùs quàm alia remedia venenoſa, periculoſa, & non cum minore cautione exhibenda ſunt. Immò ipſi D. Medici Auguſtani, & imprimis Veteres non erunt ab hac culpâ immunes, quia nonnulla remedia, quæ manifeſtè venenoſa

nosa sunt, suo Dispensatorio inserta habent, atque aliis ad usum commendant, qualia sunt pilulæ de euphorbio, colocynthide, de cynoglossa tria venena, eaque cruda in se continentes, oxymel helleboratum, electuarium de ovo, quorum hoc nucem vomicam, illud helleborum album & esulam admittit.

Nec melioris sortis remedia sunt Philonium Romanum Nic. Mirepsi, Mesue, quæ ex crudo, nec sub sulphure venenato spoliato opio, ut & ex semine hyosciami, atque euphorbio composita sunt, & tamen in Dispensatorio Augustano descripta extant.

Quanquam certo modo concedi possit Virum bonum contra morbos salvâ conscientiâ rebus venenatis non uti posse. Atque etiam ego dico, Medicum nequissimum esse, qui ægrotis suis loco medicamenti venena porrigit. Negatur enim hactenus â nobis commendata, si ritè & methodicè usurpentur, esse venena. Nam solùm pro venenis, at falsò, fuerunt habita, quod si adhuc præfractè negaretur, experientiam testem appello.

Verùm sola necessitas usum remediorum venenosorum & periculosorum excuset, neque iis, si curatio tutioribus perfici potest, utendum esse censeo, nec eorum consilium, qui ad eorum usum nimium properant, approbo. Ubi verò unica salutis via est, ea, ut rectè admonet Zacutus, licet cum periculo tentan-

tentanda, & melius tunc est, anceps remedium, quàm nullum experiri. Hoc etiam non nego venena, vel potius remedia ex venenis petita, majore cùm cautione, quàm alia remedia esse administranda, & si in totâ Medicinâ, certè hîc observandum esse illud Terentianum: Ne quid nimis. Nam usus & applicatio istiusmodi remediorum exactum Medici judicium, atque inter timiditatem & temeritatem ambigens, causam morbi, ægri vires probè cognoscens & trutinans requirit. Unde non reprobo cujusdam Medici mihi amici censuram de hoc tractatu, qui benè factum credit, quod is in linguâ latinâ fuerit conscriptus. Nam, inquit, si in linguâ vulgari & germanicâ ederetur, & ab artis imperitis legeretur, temerariis posset occasionem nocendi præbere. Verùm quantò melius factum, & Medicorum existimationi & rei consultum fuisset, si non solùm hic tractatus medicus, sed etiam alii de morborum curatione agentes non in linguâ germanicâ & vulgari fuissent editi, si Doctores Medicinæ solùm linguâ doctâ, id est latinâ loquerentur & scriberent, atque suam doctrinam, quantum possibile, oculis vulgi subducerent, ita enim arti nostræ suus honos, sua reverentia conservaretur, quæ nunc planè ruit, dum Medici integros tractatus de curatione morborum in linguâ vulgari conscriptos edunt, & eoipso nihil

 aliud

aliud agunt, quàm ut impudenti Empiricorum gregi occasionem Medicis quocunque modo nocendi suggerant, atque jam intollerabilem eorum arrogantiam ulterius inflent. Et quæso, quomodo inter se conveniunt, quod Medici Empiricorum temeritatem, imperitiam, impudentiam ubique in scriptis suis exagitent, & detestentur, at eos nihilominus modum & rationem, quomodo inconsultis Doctoribus ægrotos tractare possint, doceant? Nam quod nonnulli Medici in linguis vulgaribus sua animi sensa proponant, illud eos in gratiam Empiricorum factitasse mihi videtur. Nesciunt etiam hi Medici remediorum dignitatem, si arcana maneant, conservari, ea verò postquam ad plurimorum notitiam perveniunt, subitò evilescere. Sin verò adhuc suum institutum defendere pergant, saltèm non ægrè ferent, Empiricos cum Medicis pari honore & dignitate, ad quam iis ipsi viam straverunt, haberi. Mihi sanê nunquam placuit hæc nimia bonitas in eos, qui nos plus quàm Vatiniano odio prosequuntur, & quamvis adhuc nesciam, quod fatum hic meus tractatus subiturus, & num Medicis placiturus sit, cum probè sciam paradoxa multis displicere, atque ipsam scribendi libertatem ingratam esse, & si quis etiam vere aliquid scripserit, vel dixerit, non tamen semper sibi propitiam famam promittere

tere possit, sæpiusque obsequium amicos, veritas odium pariat, mei voti tamen summa est, ut is non solùm Doctoribus approbetur, sed etiam ut intra eorum manus maneat, ne remedia â me, sed bona & ad praxin medicam necessaria judicata, si ab indoctâ manu exhibita & directa fuerint, ægrotis periculum & malum causentur, atque ipsa mea doctrina calumniis & criminationibus aliorum objiciatur.



INDEX CAPITUM.

Caput

FINIS.



